DE ARGUMENTIS

QUIBUS

SANCTUS ANSELMUS

DEUM ESSE DEMONSTRAT

DISSERTATIO,

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

PRO LICENTIA DOCENDI,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS,

A. D. 1882, die 29 Julii, hora a. m. X,

PUBLICE DEFENDET

Ferdinandus MONTET

GENEVÆ
TYPIS CAROLI SCHUCHARDT
1882

DE ARGUMENTIS

QUIBUS

SANCTUS ANSELMUS

DEUM ESSE DEMONSTRAT

DISSERTATIO,

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

PRO LICENTIA DOCENDI,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS,

A. D. 1882, die 29 Julii, hora a. m. X,

PUBLICE DEFENDET

Ferdinandus MONTET

GENEVÆ
TYPIS CAROLI SCHUCHARDT
1882

Præside viro S. V.

AUG. SABATIER.

Solemne publicum examen moderabuntur triumviri doctissimi :

A. SABATIER.
G. BONET-MAURY, PP. PP. OO.
E. MÉNÉGOZ, P. P. E.

40

DE ARGUMENTIS

QUIBUS

SANCTUS ANSELMUS

DEUM ESSE DEMONSTRAT

PRÆFATIO.

Plures quadragesimum jam annum apud Gallos Anglosque et Germanos editi sunt de beato Anselmo libri. Anno 1840, Emile Saisset, egregius ille et præstans philosophus scriptorque, *De varia S. Anselmi in Proslogio argumenti fortuna* academicam dissertationem proferebat. Quo in scripto, brevi quidem sed pleno, ontologici argumenti, præsertim apud Anselmum, qui illud invenit, Cartesiumque et Leibnitium, historia exponitur, ipsumque disputatur aut, ut verius dicam, defenditur argumentum, quod tuetur Emile Saisset cujusque arripit patrocinium. Quam quidem sententiam in commentatione mutavit deflexitque, quæ primum in *Revue des Deux Mondes,* 1853, deinde in *Mélanges d'histoire, de morale et de critique,* Parisiis, 1859, impressa est, quæque, quum inscripta sit : *Un moine philosophe du onzième siècle,* per majus alterius scriptoris opus data occasione facta est. Hoc opus Charles

de Rémusat scripserat eique titulum imposuerat *Anselme de Cantorbéry, tableau de la vie monastique et de la lutte du pouvoir spirituel avec le pouvoir temporel au onzième siècle,* Parsiis, 1853, 1 vol. in-8° (altera editio, Parisiis, 1868, 1 vol. in-12°). Quo in libro tam tranquilla primum et tam composita Beccensis abbatis, tam sollicita deinde et tam agitata Cantuariensis archiepiscopi potissimum enarratur vita, memorandaque illa, in contentione de jure ecclesiastico, cum Guilelmo Rufo et Henrico Primo commissa certamina referuntur; non quod S. Anselmi et doctrina et opera hoc in libro protermittantur, sed secundum locum obtinent, librique posterior pars priore non tantum minus ampla productaque, verum etiam, quod ad laudem attinet, impar atque inferior est. Historicum igitur illud opus jure ac merito dici potest, et, sicut alii ejusdem generis a Ch. de Rémusat scripti libri [1], in maxima est commendatione. Quem ad componendum librum, præter Mediæ Ætatis monumenta, imprimis S. Anselmi auctore Eadmero vitam, omnibus S. Anselmi operum editionibus præmissam, recentioribus scriptis Ch. de Rémusat usus erat, quæ in libri ejus (alter. edit.) parte I, cap. II, enumerata invenies; e quibus referam nominatim : G.-F. Franck, *Anselm von Canterbury,* Tübingen, 1842; F.-R. Hasse, *Anselm von Canterbury.* Leipzig, 1843 [2]; *The Life of S. Anselm,* quod germanica in lingua scripserat Mœhler in Anglorum sermonem versum a H. Rymer, London, 1842; Charma, *Saint Anselme, notice biographique, philosophique et littéraire,* Paris, 1853; Croset-Mouchet, *Saint Anselme d'Aoste,* Paris et

[1] Vide *Abélard,* unde dramatica illa, post auctoris obitum publicata, fabula ab illo eximii ingenii scriptore ducta est, quam artis miraculum non dubito quin appellem.

[2] Altera editio, 1852, 2 vol.

Tournai, 1859 [1]. Primæ autem omnibus illis in scriptis historiæ, secundæ philosophiæ erant partes, ita ut semper aliquid in plena argumentorum expositione et disputatione, quibus S. Anselmus Deum esse demonstrat, deesset et desideraretur. Quas quidem rimas non satis explebat prooemium ab H. Bouchitté suæ Monologii et Proslogii translationi præpositum, quam inscripserat : *Le rationalisme chrétien à la fin du XIme siècle*, Parisiis, 1842, etsi nonnulla in eo optime disserta continentur, præcipue quum Monologii argumentationis originem apud Augustinum exquirit et investigat [2]. Quod vero ad generales philosophiæ historias pertinet, et ad ipsum specialem B. Hauréau librum, *Histoire de la philosophie scolastique*, Parisiis, 1872, in-8°, Anselmianæ his in operibus de Dei existentia probationes ex ipsa operum natura ita generaliter et summatim tractatæ sunt, ut trunci aliquid in eis curtique necessario insit. Una Emile Saisset prædicta dissertatio singula in Proslogii ratiocinatione diligenter considerata persecuta erat ; verum de sola Proslogii ratiocinatione, nequaquam de Monologii argumentis illo in opusculo agebatur. Re quidem vera plerisque litteratis politiorisque non expertibus humanitatis hominibus ontologicum tantum, utpote præclarissimum, Proslogii notum est argumentum, cæteraque eos Anselmi argumenta latent. Attamen argumenta Monologii, quamquam minus controversa sunt, longe abest ut leviora et parvi sint momenti, studiosaque et sedula pervestigatione

[1] In germanicam linguam ipsum Ch. de Rémusat opus translatum est a C. Wurzbach, Regensburg, 1854.

[2] Corrigenda sunt quædam H. Bouchitté in translatione : indicabimus exempli causa tertium Monologii caput, in quo gravem latini textus depravationem deprehendimus, quum verbo *cuncta* non plures universi causæ, ut intelligit Bouchitté, sed universum ipsum, ipsa rerum universitas significetur.

non indigeant; quæ accurate considerare operæ sane pretium est, quandoquidem hic quoque S. Anselmus recentiorum philosophiam sexcentis annis præcucurrit. Plenior igitur et absolutior de argumentis quibus S. Anselmus Deum esse demonstrat tractatus, qui et Monologii et Proslogii rationes pari diligentia complexus minutiore cura atque intentissima conquisitione singillatim explanatas discuteret, utilis opportunusque nobis et necessarius etiam est visus; itaque hunc tractatum scribere aggressi sumus, si tractatus libello nostro nomen imponere licet. Qua in dissertatione et historiam exponemus argumentorum et de illis disceptabimus; hæ erunt ambæ nostræ commentationis partes, quæ quidem inter se arcte conjunctæ sunt et connexæ sæpiusque miscebuntur. Utinam opus opificis virium modum non nimis superet, et aliquid ipse pro sua parte conferat ad id palam faciendum proferendumque in lucem, quantus philosophus Anselmus sit, quem præstantissimum fuisse existimamus recentioris philosophiæ præcursorem. Illi profecto, et multi sunt, quibus magnus ille in admiratione est episcopus, non habebunt quod nobis succenseant, qui hoc ostendere conati fuerimus philosophum in Anselmo non stetisse infra virum, sed alterum alteri fuisse parem.

CAPUT I.

Quot et qualibus argumentis Anselmus Deum esse nos edoceat.

Duæ sunt viæ quibus Anselmus [1] ad Deum pervenit, duo argumentorum genera quibus Deum esse demonstrat; quorum in Monologio unum, alterum in Proslogio reperitur. Amborum quidem multo clarius est Proslogii argumentum, quod a philosophis ontologicum apellatum est atque a Cartesio denuo exhibitum. Monologii tamen argumenta, etiamsi pari non usa sint fortuna, longe abest ut exilia sint et nullius momenti. Hic per inductionem, illic per deductionem, hic physicorum, illic geometrarum more ratiocinatur Anselmus; hic res extraneas et rerum inter se relationes, illic informatam in animis notionem testem facit; hic veteres, Platonem scilicet et Augustinum, sequitur, illic propria ei est forma disputandi et ipsius arte novata. Hæc autem est utriusque opusculi summatim exposita argumentatio.

In libro qui inscriptus est *de Divinitatis essentia Monologium,* quique « velut exemplum meditandi de ratione fidei,

[1] Optimam S. Anselmi ex Beccensi abbate Cantuariensis archiepiscopi operum omnium editionem protulit D. Gabriel Gerberon, congregationis S. Mauri monachus, Paris, 1675, in-fol. Quam exscriptam editionem iterum in vulgus emisit J.-P. Migne, Paris, 1863, 2 vol. in-4°.

in persona alicujus tacite secum ratiocinando quæ nesciat investigantis, editus » est, de Divinitatis existentia atque essentia, per meditationis modum, non Scripturæ auctoritate, sed rationum momentis Anselmus disserit [1]. Hic liber capita novem et septuaginta continet, quibus I-IV de Dei existentia, V-XXVIII de Dei attributis illiusque cum mundo relationibus, XXIX-LXV de Trinitate, LXVI-LXXIX de Divinitatis cum humano animo relationibus tractatur. Quod autem ad nostram attinet disputationem, capita illa quatuor consideranda sunt nobis, quæ sunt de Dei existentia. Hoc demonstratur primo capite propositum, quiddam esse summe bonum, per quod omnia alia bona sint, ipsum autem per se bonum; secundo capite, sicut sit unum aliquid summe bonum, ita existere unum aliquid summe magnum, per quod magna sint quæcunque sint magna, quodque magnum sit per seipsum; tertio capite, unam quamdam esse essentiam, sive substantiam, sive naturam per quam sit quidquid sit, et quæ sit per se, et summum sit omnium quæ sint; quarto denique capite, non omnes naturas esse pares dignitate, sed alias aliis meliores; ergo unam dari quæ cæteris sic superemineat, ut non habeat se superiorem; unam igitur quamdam naturam, seu substantiam, sive essentiam existere, quæ sit summum omnium quæ sint, quæ per se bona et magna, quæ per se sit id quod ipsa sit, et per quam sit quidquid aut bonum, aut magnum, aut aliquid sit.

Illa vero quatuor capitulorum in breve coacta et summatim exposita sententia fusius latiusque explicanda est. Unam summam existere naturam, non alienæ opis egentem, cujus

[1] Vide Monologii præfationem.

autem opis cuncta egeant, propositum est Anselmo sola rationis vi demonstrare, triplicique argumento ad demonstrandum utitur :

Argumentum primum (Cap. I et II). — Cap. I : Non appetimus nisi quæ bona putamus, ac plurima bona esse et sensibus corporeis experimur, et ratione mentis discernimus. Certissimum autem est quæcunque dicuntur aliquid, ita ut magis aut minus aut æqualiter dicantur, per aliquid dici quod non aliud et aliud, sed idem intelligatur in diversis quæ in eo uno conveniant. Nam quæcunque justa dicuntur, sive pariter, sive magis vel minus, non possunt intelligi justa nisi per justitiam, quæ non est aliud et aliud in diversis. Ergo datur unum quid, per quod cuncta sunt bona et in quo bona diversa conveniunt. Id autem, per quod cuncta sunt bona, quod igitur summe bonum est, necesse est ut bonum sit per seipsum. At quod per aliud bonum est, minus est eo per quod bonum est. Ergo quod est summe bonum, est summe magnum omnium quæ sunt. Est igitur unum aliquid summe bonum et summe magnum, id est summum omnium quæ sunt ; omnia alia per illud, ipsum per se est bonum. — Cap. II : Sicut ex plurimorum bonorum consideratione colligi potest unum esse aliquid summe bonum, quia cuncta bona per unum aliquid sunt, quod est bonum per se ; ita inferre licet unum aliquid summe magnum existere, quia quæcunque magna sunt, per unum aliquid sunt magna, quod magnum est per seipsum. Magnum intelligit Anselmus, non spatio, ut est corpus, sed sapientia, quod melius et dignius est. Et quoniam non potest esse summe magnum, nisi id quod est summe bonum, necesse est aliquid esse maximum et optimum, id est summum omnium quæ sunt. — Quo qui-

dem altero capite nihil affertur aliud nisi prioris capitis iterata demonstratio, interposito hoc uno discrimine, quod, ut Aristotelis vocabula usurpemus, hic magnitudinis, illic bonitatis categoria respicitur.

Argumentum secundum (Cap. III). — Quod si unum et idem argumentum in utroque superiore continetur capitulo, liquet sane tertio huic capiti novum inesse argumentum. Illic enim philosophus noster unitatem in varietate, idem quiddam et commune in diversis et multiformibus percipit speciebus, pulchritudinem scilicet, ordinem, partium congruentiam, naturæ consensionem, totius mundi concordiam et concentum ; et tanquam pluribus rebus unum et idem impressum signum, una et eadem inusta nota unam et eamdem manum detegit, tanquam bene ordinata atque omnibus partibus apta et accommodate composita machina unius opificis, unius intelligentiæ indicium facit, hoc ex unitate mundi analogiam secutus cogit, unum esse instructorem universi et rerum ordinatorem. Hic autem non jam ab ordinatis ad ordinatorem, sed a creatis ad creatorem, non jam ab intelligibili ad intelligentem, a sigillo ad obsignatorem, sed ab effectu ad causam efficientem recurrit, neque cunctarum rerum in unum coeuntium ordinem, singularum vero separatim et in se existentium substantiarum originem considerat. Aliud est igitur primi et secundi, aliud tertii capitis argumentum. Ipsa autem Anselmi verba referamus : « Non solum omnia bona per idem aliquid sunt bona, et omnia magna per idem aliquid sunt magna ; sed quidquid est, per unum aliquid videtur esse. Omne namque quod est, aut est per aliquid, aut per nihil; sed nihil est per nihil. Non enim vel cogitari potest ut sit aliquid non per aliquid. Quidquid igitur est, non nisi per

aliquid est. » Quod quum ita sit, de hac re disputat reliquo in capite Anselmus, utrum sit unum, an plura, per quæ sunt cuncta quæ sunt. Jam igitur tota est de unitate Dei disputatio : « Si sunt plura, aut ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt ; aut eadem plura singula sunt per se ; aut ipsa per se invicem sunt. At si plura ipsa sunt per unum, jam non sunt omnia per plura ; sed potius per illud unum, per quod hæc plura sunt. Si vero ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se, qua habent ut per se sint. Non est autem dubium quod per idipsum unum sint, per quod habent ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta sunt, quam per plura, quæ sine eo uno esse non possunt. Ut vero plura per se invicem sint, nulla patitur ratio, quoniam irrationalis cogitatio est ut aliqua res sit per illud cui dat esse : nam nec ipsa relativa sic sunt per se invicem..... Quum itaque veritas omnimodo excludat plura esse, per quæ cuncta sunt, necesse est unum illud esse, per quod sunt cuncta quæ sunt. »

Illa est tertii capitis sententia. Aliam denique quartum caput nobis præbet ratiocinationem, qua Deum esse hunc in modum demonstratur :

Argumentum tertium (Cap. IV). — Non omnes naturæ sunt pares dignitate ; sed aliæ aliis sunt meliores. Quum autem graduum distinctionem infinitam esse naturarumque multitudinem nullo fine claudi absurdum sit, necesse est inter eas aliquam esse naturam quæ sic supereminent cæteris, ut non habeat se superiorem. « Hæc vero natura quæ talis est, aut sola est, aut plures hujusmodi et æquales sunt : verum si plures sunt et æquales, quum æquales esse non possint per diversa quædam, sed per idem aliquid, illud unum, per quod

æqualiter tam magnæ sunt, aut est idipsum quod ipsæ sunt, id est, ipsa rerum essentia, aut aliud quam quod ipsæ sunt. Sed si nihil est aliud quam ipsa earum essentia, sicut earum essentiæ non sunt plures, sed una, ita et naturæ non sunt plures, sed una. Idem namque naturam hic intelligo, quod essentiam. Si vero id, per quod plures ipsæ naturæ tam magnæ sunt, aliud est quam quod ipsæ sunt, pro certo minores sunt, quam id per quod magnæ sunt. Quidquid enim per aliud est magnum, minus est quam id per quod est magnum. Quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil aliud sit majus. Quod si nec per hoc quod sunt, nec per aliud possibile est tales esse plures naturas, quibus nihil sit præstantius, nullo modo possunt esse naturæ plures hujusmodi. Restat igitur unam et solam naturam aliquam esse, quæ sic est aliis superior, ut nulli sit inferior; sed quod tale est, maximum et optimum est omnium quæ sunt. Est igitur quædam natura, quæ est summum omnium quæ sunt. Hoc autem esse non potest, nisi ipsa sit per se id quod est, et cuncta quæ sunt, sint per ipsam id quod sunt. Nam quum paulo ante ratio docuerit id quod per se est, et per quod alia cuncta sunt, esse summum omnium existentium, aut e converso id quod est summum, est per se, et cuncta alia per illud, aut erunt plura summa. Sed plura summa non esse manifestum est. Quare est quædam natura, vel substantia, vel essentia, quæ est per se bona et magna, et per se est id quod est, et per quam est quidquid vere aut bonum, aut magnum, aut aliquid est, et quæ est summum bonum, summum magnum, summum ens sive subsistens, id est, summum omnium quæ sunt. »

Talis est quarti capituli et sententia et textus. Quo in capitulo Deum esse ex hoc conficitur, quod omnes naturæ non

eumdem obtinent locum neque in æquo stant, sed gradibus venitur ab inferioribus ad superiores. Quæ autem progressio quum infinita esse non possit, necesse est unam quamdam esse naturam vel substantiam vel essentiam, optimam et maximam et summam omnium quæ sunt.

Tria igitur sunt argumenta, quibus in Monologio Deum esse demonstratur, omnia ab experientia ducta, omnia in rerum cognitione fulta quæ sub tactum cadunt atque a sensu sunt tradita. Unde fit ut illa in usu tantum et experimentis posita sint argumenta.

Non ejusdem generis est *Proslogii*, seu *Alloquii de Dei existentia*, argumentatio, quum se Anselmus ad alium illum ratiocinandi modum transferat, cui spectativæ et rationalis, non experiendo probatæ, mathematicæ, non physicæ methodi nomen imponere possumus. Rigidior atque, ut ita dicam, fastidiosior erat nostri philosophi ratio quam ut ei satisfaceret argumentorum illud genus quod in Monologio adhibuerat, et sicut Cartesius, propriis argumentis non contentus, valentius aliquid atque potentius quærebat, quod, geometrarum more, in unius syllogismi brevi evidentique formula totam includeret demonstrationem et nihil dubii in mente relinqueret, ita Anselmus ad faciendam fidem gravissimi et cui nulla vi resisti posset argumenti in investigatione nocte dieque versabatur [1]. Tandem aliquando quod quæreret ratus se divina quasi inspiratione invenisse, illud sic in Proslogio, sub persona precantis Deum et cupientis *intelligere quod credit*, cap. II [2], explanavit :

[1] Proslogii vide procemium.

[2] Proslogii primo in capite ad divina animum erigit Anselmus et Deum precibus adit, ut ipsum illuminet seseque ostendat ipsi,

« Ergo, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi ut, quantum scis expedire, intelligam quia es, sicut credimus, et hoc es, quod credimus. Et quidem credimus te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (Psal. XIII, 1)? Sed certe idem ipse insipiens, quum audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari potest, intelligit quod audit, et quod intelligit in intellectu ejus est, etiamsi non intelligit illud esse. Aliud est enim rem esse in intellectu; aliud intelligere rem esse. Nam quum pictor præcogitat quæ facturus est, habet quidem in intellectu; sed nondum esse intelligit quod nondum fecit. Quum vero jam pinxit, et habet in intellectu, et intelligit esse quod jam fecit. Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest, quia hoc quum audit, intelligit, et quidquid intelligitur, in intellectu est. Et certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu, idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest; sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu, et in re. »

Ergo, ut recentioribus utamur verbis, perfectum ideo existit quia perfecti notionem habemus. Ita reducitur omnis ad syllogismum unum argumentatio aut, ut accommodatius

quandoquidem Deum homo nec quærere possit, nisi doceat Deus, nec invenire, nisi sese Deus ostendat. Cæterum totus tractatus longæ precationis in formam scriptus est : unde libro nomen inditum, Proslogion, seu Alloquium de Dei existentia.

ad veritatem dicamus, ad ratiocinationem per absurdum. Manifestum igitur Deum Anselmus (sic saltem ipse existimat) et quasi præsentem atque ante oculos proditum fecit. Longius etiam procedit, et postquam cap. II Deum esse demonstravit, ejusdemmodi ratiocinatione cap. III ostendit non posse concipi Deum non esse :

Quod si enim Deus non esse cogitari posset, id est si hoc, quo majus nequit cogitari, posset cogitari non esse, idipsum quo majus cogitari nequit, non esset id quo majus cogitari nequit, quippe quum aliquid cogitari posset quo nihil majus cogitari posset quodque non posset cogitari non esse. Quod convenire non potest.

Quomodo autem (cap. IV) fieri potest ut dicat insanus in corde suo quod nullus homo concipere valet, scilicet non esse Deum ? Quia duobus modis aliquid dici potest : potes enim verba enuntiare neque intelligere quid significent, quid sibi illa vocabula velint, id est flatus vocis edere, cum quibus nulla in mente conceptio conveniat; potes autem et loqui et quæ dicas intelligere. Prior est proprius insani modus.

Propterea quod Proslogii in argumentandi ratione Dei et Perfecti notiones confunduntur et in unum coeunt, sequitur (cap. V) Deum esse optimum, maximum, summum omnium quæ sunt, existere per se ipsum, omnia alia fecisse de nihilo, denique esse quidquid esse melius est quam non esse. Quod si enim hoc non esset, minus esset eo quod illis attributis præditum cogitari potest, nec jam esset Perfectum, id est quo majus nihil concipere valemus. Ontologico igitur argumento (quippe quod tali nomine apud philosophos vocatum sit) hoc adhæret commodi quod, ut primum est editum, hinc, nulla alia ratiocinatione adhibita, nullo alio allato argumento,

ducitur quidquid Dei est proprium, quidquid divinæ tribuendum est naturæ. Itaque secundi capitis ex proposito, tanquam uno ex fonte, totus reliquus (cap. VI-XXVI) tractatus manat, ubi nulla de alia re sermo est nisi de Dei essentia et attributis.

CAPUT II.

An et ubi illa argumenta apud philosophos ante Anselmi tempora appareant.

Quod si illa argumenta apud philosophos ante Anselmi tempora reperire conamur, nobis quidem erit confitendum Proslogii argumentum admodum esse novum et omnino nusquam apparere, Monologii autem ratiocinationem Platonis et methodum et argumentationem nobis in memoriam revocare. Tria vero Monologii argumenta aliud ab alio discernamus singulaque separatim consideremus oportet, quorum primum tantum (cap. I et II), ut vere loquamur, Platonis dialecticam exhibet redditque. Hac enim via Plato ad Deum pervenit: quidquid pulchri finitis rebus insitum est contemplatus, pulchrum illud non pari mensura huc illuc distributum ex una et eadem origine proficisci intelligit, quod pulchrum in se vocat; item quidquid justi, ex una et eadem origine, quod justum in se quidquid veri ex una et eadem origine procedere, quod verum in se dicitur; et sic de omnibus rebus quibus bonorum nomen imponere solemus; pulchrum autem in se, et justum, et verum, et alia in se bona, ab uno et eodem fonte capere principium, quod summum est et perfectum absolutumque bonum. Quam Platonis argumentationem cum primo et secundo Monologii capite si conferimus, hoc inter Platonem et Anselmum interesse videmus, quod apud Anselmum a

finitis bonis, nulla interposita idea, ad summum bonum insurgit animus, apud Platonem notiones communes, rerum formæ, ideæ inter finita bona et Deum mediæ interveniunt. Quum autem in unum coeant communes notiones, rerum formæ, ideæ et mens divina, id est Deus, idem valent ambæ argumentationes eodemque recidunt, atque huc redeunt, scilicet quæcunque dicuntur aliquid, seu pulchra, seu justa, seu vera, sive quodvis bonum, ita ut magis aut minus aut æqualiter dicantur, per aliquid dici quod idem intelligatur in diversis quæ in eo uno conveniant; ergo dari unum quid per quod cuncta sint bona et in quo bona diversa conveniant, quod igitur et summe et per seipsum sit bonum.

Num fortuita est hujuscemodi inter Platonis et Anselmi ratiocinationes similitudo? At enim, dicet aliquis, fieri potuit ut academicæ doctrinæ Anselmus non esset rudis; namque nono jam sæculo notus erat Timæus, quippe quem sexies in libro de Divisione naturæ Scotus Erigena usurpet [1]. Quum autem nullum aliud Platonis opus tertium decimum ante sæculum ad Occidentales pervenerit, verius dicemus non directo, sed oblique academicam disciplinam ad scholasticos esse transmissam, scilicet divi Augustini libris adjuvantibus. Diu enim platonizavit Augustinus, et postquam, hipponensis factus episcopus, a philosophia digressus est, inscius adhuc platonizavit, ita ut omnia ejus scripta Platonis, ut ita dicam, sententiam aliquatenus referant. Sic autem in libro de Trinitate a finitis bonis ad Deum insurgit animus : « Non amas certe

[1] Vide Hauréau, Hist. de la philos. scolast., Paris, 1872, in-8° ; 1re partie, page 92. — Græcis quamvis litteris doctus esset Erigena, non in græco authentico, sed latina Chalcidii in translatione Phædonem videtur legisse.

nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium et temperamento collium et planitie camporum, et bonum prædium amænum ac fertile, et bona domus paribus membris disposita et ampla et lucida, et bona animalia animata corpora, et bonus aer modestus et salubris, et bonus cibus suavis atque aptus valetudini, et bona valetudo sine doloribus et lassitudine, et bona facies hominis dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata, et bonus animus amici consensionis dulcedine et amoris fide, et bonus vir justus, et bonæ divitiæ, quia facile expediunt, et bonum cælum cum sole et luna et stellis suis, et boni angeli sancta obedientia, et bona locutio suaviter docens et congruenter monens audientem, et bonum carmen canorum numeris et sententiis grave. Quid plura et plura? bonum hoc et bonum illud : tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes : ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius quum vere judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando; et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus angelus, aut bonum cœlum, sed bonum bonum. Sic enim forte facilius advertitur quid velim dicere. Quum enim audio, verbi gratia, quod dicitur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex eis verbis duo quædam intelligo : aliud quo animus est, aliud quo bonus. Et quidem ut animus esset, non egit ipse aliquid; non enim jam erat quod ageret ut esset : ut autem sit bonus animus,

video agendum esse voluntate; non quia idipsum quo animus est, non est aliquid boni; nam unde jam dicitur, et verissime dicitur corpore melior? Sed ideo nondum dicitur bonus animus, quoniam restat ei actio voluntatis, qua sit præstantior; quam si neglexerit, jure culpatur, recteque dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo qui hoc agit : et quia ille laudabilis, profecto iste qui hoc non agit, vituperabilis est. Quum vero agit hoc studio, et fit bonus animus, nisi ad bonum, quum hoc amat et appetit et adipiscitur? Unde se si rursus avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quo se avertit a bono, nisi maneat in se illud bonum unde se avertit, non est quo se, iterum, si voluerit emendare, convertat.

Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum. Quum itaque audis bonum hoc et bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum cujus participatione bona sunt; simul enim et ipsum intelligis quum audis hoc aut illud bonum : si ergo potueris, illis detractis, per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, quum alia non amentur nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum unde bona sunt. [1] » Hoc loco vult Augustinus legentem ad colendum Deum irritare, pudorem homini incutiendo qui alia non amat nisi quia bona sunt, ipsum autem bonum non amat quo alia sunt bona. Unde propositi hujus imponitur necessitas demonstrandi, nulla posse mutabilia bona existere, nisi incommutabile bonum

[1] Augustin. de Trinitate, lib. VIII, cap. 3. — Vide Bouchitté, Le rationalisme chrétien à la fin du XI^{me} siècle, Paris, 1842, in-8°; introduction, pag. XXXV s.

sit, cujus participatione sint bona quæcunque bona dicuntur. Cum illo libri de Trinitate loco conferenda sunt de Natura boni contra Manich. capit. 1, 12 et 13 et de Gen. ad litt. VIII, 14 [1].

Quibus in Augustini libris plane redditam exhibitamque Platonis dialecticam non equidem dicere ausim, quasi christianus academicam renovare disciplinam iisdemque persequi vocabulis sibi episcopus proposuisset; verumtamen fatendum est totam his verbis Platonis inesse sententiam : « Bonum hoc et bonum illud : tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum : ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, quum vere judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. » Quid est illa nobis impressa ipsius boni notio, nisi platonica idea sensilium rerum visu humano in intellectu excitata [2] ?

Non jam autem Augustinus cum Platone, sed Anselmus cum Augustino componendus : « Etenim, ait Anselmus (Monolog. cap. I), quum omnes frui solis his appetant, quæ bona putant, in promptu est ut aliquando mentis oculum convertat (homo) ad investigandum illud, unde sunt bona ea ipsa

[1] Cf. quoque Civit. Dei, lib. VIII, cap. 6; Confess., lib. I, cap. 6; De quæstion. octog. trib., qu. 46; S. Aug. Opp., tom. VI, pag. 17; Confess. et Civit. Dei passim. (Vide Emile Saisset, Traduction de la Cité de Dieu de saint Augustin, Introduction, p. LIV-LXXVI; 4 vol. in-12, Paris, 1855.)

[2] Quod ad idearum rationem apud Platonem attinet, vide Phædonem, XLIX; Rempublicam, lib. VI et VII; Philebum, Parmenidem, Theætetum et Sophistam.

quæ non appetit nisi quia judicat esse bona, ut deinde ratione ducente et illa prosequente ad ea quæ irrationabiliter ignorat rationabiliter proficiat..... » Confer Augustini locum citatum : « Non amas certe nisi bonum..... Bonum hoc et bonum illud : tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes : ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni..... » Nonne similius ambos apud scriptores argumentandi est filum, quam ut plurimum nobis sumamus arrogemusque, si dixerimus Anselmum a Platone per Augustinum Monologii accepisse argumentum. Neque hoc fit casu si alter alteri ita assentitur scriptor, quum perspicuum sit e Monologii præfatione quantum illo in libro Augustinum sequi ejusque instare vestigiis Anselmus studuerit, qui statim ab initio omni asseveratione affirmet nihil a se probatum esse « quod non catholicorum Patrum, et maxime beati Augustini, scriptis cohæreat. »

Habes quod a Platone Anselmus, medio Augustino, est mutuatus. Altera vero est manus qua litteris mandata Platonicorum disciplina undecimi sæculi philosophis tradita sit. Scotus nempe Erigena, quem supra memoravimus, Dionysii Areopagitæ interpres, explanatum ab Alexandrinis et nescio utrum in melius an in deterius mutatum Platonem Mediæ Ætati transmiserat. Hæc autem est pseudo-Dionysii sententia, quam consecutus Erigena exhibuit : Quidquid bonum, quidquid pulchrum est, ad summum quoddam bonum, summum quoddam pulchrum tendit, ex quo genitum est, ita ut illud summum bonum summumque illud pulchrum omnium rerum et fines sint et typi rationesque creatrices; ipsa autem sedent atque, ut ita dicam, locum habent in Deo, ad quem creaturis omnes intercluduntur aditus, quique ea non novit

quæ sub sensus nostros subjecta cadunt, sed typos tantum, intelligibiles scilicet sensibilium rerum ideas cognitas habet. Illa est disserendi ratio platonica, qua Erigena, a finito profectus, sese extollit ad Infinitum, absque mundo exordium sumens, usque ad Deum pervenit. Nonne illic, sicut Anselmi in Monologio, a peculiaribus bonis, aliis creaturis largius, aliis parcius dispertitis, ad universalia bona animus insurgit, quæ peculiarium principia sunt bonorum, quorumque divinam quamdam mentem necessse est sedem esse ac domicilium. Pernota autem erat Anselmo translata ab Erigena vulgataque pseudo-Dionysii doctrina : testis quarta Anselmi homilia, in Matthæum XVII (in monte excelso Jesus, præsentibus Petro Jacoboque et Joanne, transfiguratur), ubi de inaccessa illa luce agitur, in qua Deus habitat, quamque, utpote nimio intolerabilem fulgore et quasi offuscantem, jure ac merito Scriptura caliginem vocat : « De hac (luce) et venerandus Pater Dionysius ait, sicut et alibi meminimus : Divina caligo est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur, et invisibili eo existente propter supereminentem claritatem, et inaccessibili eodem per superexcellentiam superessentialis luminum manationis [1]..... His beati Dionysii tam ponderosis verbis consonat et David dicens de Domino : Caligo sub pedibus ejus..... Caligo namque est ei sub pedibus, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur [2]. » Quo sane loco videre est quanti Dionysii auctorita-

[1] Hæc est prima sententia quintæ Dionysii epistolæ, ad Dorotheum diaconum, qualis ab ipso Erigena e græco in latinum versa est.

[2] Anselmi operum pars secunda, Homiliæ et Exhortationes, Homilia IV, ed. Gerberon, p. 164; ed. Migne, p. 610.

tem Anselmus faciat, quem venerandum Patrem appellet et cujus verba æstimet tam ponderosa. Platonicam igitur qua Deum esse in Monologio demonstratur rationem tam ab Erigena et pseudo-Dionysio quam a D. Augustino acceptam retulit exposuitque Anselmus.

Jamdudum igitur philosophis notum usurpatumque ab illis erat Anselmi prioribus Monologii in capitulis argumentum; quod a Platone inventum hinc Augustinus, illinc pseudo-Dyonisius Dionysiique interpres Scotus Erigena undecimi sæculi theologis tradiderant, immeritoque Anselmus primus protulisse crederetur. Ita saltem de argumento quod Monologii primo et secundo capitulo continetur; quod autem tertii capitis attinet ad argumentum, non isto prorsus modo se res habet. Quo quidem in capitulo, ut in prioribus, a finito ad infinitum absque effectu ad causam infert Anselmus; hoc vero dignoscendum distinguendumque, quod in prioribus quidem capitulis a rerum qualitatibus ad unam quamdam ille infert summam essentiam, cujus est particeps et cum qua communicat quidquid pulchrum, justumve, vel quodammodo est bonum, in tertio autem capitulo non jam rerum proprietates, sed ipsas res contemplatus, a finitis substantiis ad infinitam infert substantiam, a qua originem ducit et per quam est quidquid est. Illic igitur finitis rebus quis formam et decorem adhibuerit, hic eas quis procreaverit indagatur perquiriturque. Communium notionum illud, cosmologicum hoc vocatum fuit argumentum; propriaque illa Platonis, hæc Scripturæ est demonstratio. Alteram alteri annexit probationem Anselmus, et longius Platone progressus est. Antiqua enim philosophia rerum universitatem nunquam nisi ex duobus constantem principiis potuit intelligere, ita ut Deum et

materiam, formale et materiale principium, æqualiter et necessaria et primordialia putaverit, neque ullum mundi creatorem, sed conditorem tantum et quasi opificem comprehenderit. Mundum autem a Deo et genitum esse et informatum Hebræi, adjuvante Revelatione, animo erant complexi, et quod Hebræi egregie conceperant, christianis obvenit hereditate. Nemini igitur, nisi christiano philosopho, mundi materiam una et formam, substantiam mirabilemque partium compositionem a Deo ducendi facultas erat. Itaque quod græco philosopho longius ipse processit, christianæ religioni Anselmus gratiam habere debet, et decus christianismo tribuendum propositi hujus secundi in Monologio argumenti, quo demonstratur aliquid unum esse quod universa et genuerit et sustentet, quod maxime et summe omnium sit, quodque necessario et per seipsum existat. Animadvertatur hic noteturque quam funditus christianismus, si illum cum veterum philosophicis disciplinis comparaveris, divinas res exploraverit atque in intimum sinum divinalis philosophiæ penetraverit : nonne enim, quemadmodum quæcunque in mundo universalibus et necessariis ideis participantur, supremam Rationem quæ ipsa conceperit postulant, eodem modo omnia quæ ubique sunt, omnia quibus, ut ita dicam, esse venit in partem, supremum Ens desiderant per quod non tantum hoc aut illud sint, verum etiam sint proprie et substantialiter ? Qua quidem in re, iterum dico, Platonis argumentationem Anselmus consummavit, aut, ut verius loquar, antiquorum doctrinam christiana fides supereminuit absolvitque.

Duobus illis argumentis, quorum prius platonico, alterum cosmologico recentiorum argumento respondet, tertium

adjicit (Monolog. cap. IV) Anselmus, quod a finitis quoque bonis ad supremum bonum assurgit, sed nova quadam via quam proprie suam Anselmus dicere potest. Enimvero ex hac continua progressione argumentum illud colligitur, quam in finitis peculiaribusque bonis experti usu cognitam habemus, quæ quidem non potest esse interminabilis nec sine ultimo extremoque aliquo bono, quod est bonum inter omnia bona præcellens, bonum quo nihil est melius, ultra quod nihil omnino est boni, quod bonum in se et per se, infinitum bonum est et summum, a quo denique finita bona quidquid habent boni mutuantur. Hoc quoque loco, ut supra, unum aliquod esse summum bonum et plurimorum finitorum consideratione bonorum conficitur, id autem secundum rationale hoc principium quo omnem in rerum natura progressionem ultimum aliquem habere terminum necesse est, non jam secundum hoc principium quo oportet suam cuique effectui esse causam.

Talia sunt, veterum philosophorum placitis collata et ab ipso velut fonte philosophiæ repetita, tria argumenta Monologii. Proslogii vero argumenti, quod postea ontologicum appellatum est, nusquam apud philosophos initia perspici possunt. Nullus igitur ordine temporum antiquior est philosophus qui illud argumentum proposuerit. Ideo in Anselmum tota inventoris cedit gloria, et si quid ipso in argumento peccat, totam solus culpam præstititque et suscepit. Quod autem erit insequente in capitulo examinandum.

CAPUT III.

Quod de Anselmi argumentis judicium facere quamque ferre sententiam debeamus.

In Monologio Anselmum vidimus Deum esse hac methodo demonstrantem quæ ex usu constat atque expérimentis, prioribus quidem capitibus hoc principio innixum cui sufficientis rationis nostrates imposuere nomen, quarto autem capite id pro necessario ponentem, naturarum quæ ad dignitatem attinet progressionem, quæque continuo et sine ulla intermissione procedit, ultimo quodam termino claudi. Utrinque igitur ab experientia profectus, per aliud alia in argumentatione principium a finitis ad infinitum transit. Contra in Proslogio desistit ab illa methodo Anselmus quæ ex experientia pendet, utpote quæ sit tardior nec satis celeriter legenti fidem faciat; cujus in locum, ut nos confestim et primo quasi impetu ad credendum ducat oratio, pure rationalem constituit methodum, quæ a mathematica tota sumitur et, geometrarum more ut loquar, per absurdum procedit.

Amborum argumentandi generum, Monologii scilicet et Proslogii, quid proprium sit quum jam dispectum habeamus, singula examinemns oportet et diligentissime perpensa disputemus. Quod si igitur Monologii primum argumenta, empirica videlicet et inductiva, momento suo ponderamus, hoc nobis est pensitandum, omniane præstent atque expleant,

quæ potens valensque et firma ad probandum, et quæ nihil relinquat dubii, requirit demonstratio exigitque.

Monologii equidem affirmare audeo argumenta (excipio demonstrationem quarti capitis de qua agam posterius) omnibus numeris nobis videri absoluta nec posse in eis quidquam reperiri quod claudicet, ita ut illa gravissima et, prout ejusmodi rationes ferunt, validissima esse asseveremus. Etenim, præterquam si omnino sit scepticus et judicio stet Pyrrhonis, nemo est qui hoc non probet propositum eique non assentiatur, quidquid extra nos est aut in nobis, quidquid per sensus externos aut per intimum sensum perspicimus, seu corpus sive mentem, seu substantiam sive substantiæ proprietatem, quamdam habere causam et principium, quod neque intra nos neque in natura rerum sedeat, quod igitur extra hominem atque mundum et supra eos ponendum sit, neque hæc patiatur quæ mortalis conditio, utpote finita et caduca, recipit, sed infinitatem æternitatemque, et quæcunque infinitæ perfectæque naturæ propria sunt, capiat, denique necessarie sit et per se.

Tale est, si illud simpliciter enuntiatum positumque in promptu et ad vulgi sensum accommodatum volueris, Monologii genus argumentandi; quod autem in dialecticam formam coactum si redegeris, hanc habebis ratiocinationem : 1° finita per se esse non possunt; 2° quum vero esse per nihil, id est omni causa carere nequeant, finita per aliquid esse necesse est, quod a finitarum rerum conditione et natura refugiat, quodque Infinitum sive Deum appellamus. Ita liquide ac presse Anselmi sententiam elocutus, mihi equidem videor quam firmissimam ad probandum atque, ut sic dicam, inexpugnabilem in Monologio habere ratiocinationem.

Dicet forte aliquis, quæ sic in animo informatur, inanem et vacuam, aut, ut philosophorum more loquamur, negativam esse Dei notionem, quasi hoc Deum vocaverimus quod per aliud non sit, neque ullis circumscribatur terminis, nec spatio nec tempore nec ulla contineatur categoria, quodque, ut proprie et apte dicamus idoneisque verbis utamur, nulla nisi non finita possideat attributa. Respondemus nos contra, si minus adæquatam (quomodo enim Infinitum finitus intellectus complecti posset ?), at certe plenam et affirmativam Divinitatis notionem, adjuvante Anselmo, assecutos esse, huic alteri rationali innixos principio, quod in argumentationem suam tacite Anselmus inclusit, nihil esse in effectu quod ipsa non sit in causa. Quæ quidem propositio omnibus perspicua, quam nemo infitias eat vocetque in dubium, facultatem Anselmo præbet finitis in bonis deprehensum humanis pro viribus summum bonum concipiendi, et, secundum finitarum substantiarum naturam, quæ, prout materia sunt aut spiritus, vel pulchræ sapienterque et consilio ordinatæ, vel bonæ et justæ sunt, intelligentem et sapientem justitiaque et bonitate præditum esse Deum affirmandi, hac tantum adhibita correctione, quæ in finitis substantiis, utpote terminatis, sint imperfecta, perfecta esse in Deo qui nullum finem, nullum terminum patiatur.

In summa igitur duo duntaxat manifestaque animoque insita principia Anselmus obstestatur et invocat, quæ ei nemo denegare posset : 1° Non est quidquam per nihil ; aliter : suam quidquid est causam habet ; 2° Nihil in effectu esse potest, quod non prius fuerit in causâ ; aliter : quidquid comperitur in effectu, et causæ inesse affirmare licet. Quibus rationalibus, universalibus scilicet et necessariis, quasi firmis-

simis armis instructus principiis, quæ Græci axiomata, Latini anticipationes vocaverunt, adeo sunt nostris informatæ in mentibus atque, ut diceret Cicero, anticipatæ, invictus profecto in Monologio suo et insuperabilis stat Anselmus. Hic verum enimvero nonne agnoscis recentioris illius originem fontemque philosophiæ ac veluti exemplar et archetypum, cum qua nomen suum Cartesius et Leibnitius commendaverunt, necnon Bossuetus Feneloque, et alii præsentis ætatis acerrimi ingenio viri[1], ita ut illius philosophiæ Anselmum auctorem ac parentem dicere ausim (nec me crederem longius esse provectum), nisi jure magis ac merito fatendum esset philosophorum illorum, haud secus ac ipsius Anselmi qui eos et ætate et doctrina præcucurrit, disciplinam hinc in Platonis rationem, illinc in christianismum penitus egisse radices, generosæ arboris instar quæ varios succos eadem in stirpe misceret.

Anselmo igitur adhuc assentior, et quidquid in Monologio ut Deum esse demonstraret argumentatus est, vere apteque eum dixisse puto. Trium quidem priorum capitum argumentationem intelligo; minime vero quarti capituli sententiæ, quippe eam in formam figuratæ quæ paralogismi quamdam habeat suspicionem, suffragari possum et subscribere. Hanc ratiocinationem repeto : Si quis animum intenderit ad inspiciendas rerum naturas, velit, nolit, sentiet non eas omnes pares esse dignitate, sed quamdam interesse inæqualitatem, ita ut graduum inter illas distinctionem liceat deprehendere. Qui enim dubitat an melior sit ligno natura equi, et equo

[1] Huic præcipue alludimus nostrorum temporum philosophiæ, quæ multos jam annos in Gallia viget floretque, atque gallice Philosophie spiritualiste nominatur.

præstantior natura hominis, is profecto non dignus est qui homo dicatur voceturque. Quum igitur rerum naturæ aliæ aliis negari non possint esse meliores, persuadet ratio in eis sic supereminere aliquam, quæ non habeat se superiorem. Etenim si graduum distinctio infinita esset, nec ullus esset gradus quo superior alter non inveniretur, ad hoc deduceretur ratio, ut ipsarum naturarum multitudo nullo fine clauderetur, quod « nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. » Aliqua igitur ex necessitate est natura, quæ sic est alicui vel aliquibus superior, ut nulla sit cui inferior ordinetur. Quæ vero talis est natura, aut sola est, aut plures hujusmodi et æquales sunt naturæ. Si plures autem sunt et æquales, quum æquales esse non possint per diversa quædam, sed per idem aliquid, illud unum, per quod æqualiter tam magnæ sunt, aut est idipsum quod ipsæ sunt, id est ipsa rerum essentia, aut aliud quam quod ipsæ sunt. Sed si nihil est aliud quam ipsa earum essentia, sicut earum essentiæ non sunt plures, sed una, ita et naturæ non sunt plures, sed una. « Idem namque naturam hic intelligo, ait Anselmus, quod essentiam. » Si vero id, per quod plures ipsæ naturæ tam magnæ sunt, aliud est quam quod ipsæ sunt, certo minores sunt quam id per quod magnæ sunt. Quidquid enim per aliud est magnum, minus est quam id per quod est magnum. Quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil aliud sit majus; quod fieri non potest, quandoquidem cæteras ita emineant supra naturas, ut non habeant se superiorem. Quod si nec per hoc quod sunt, nec per aliud quidquam plures possunt esse naturæ, quibus nihil sit præstantius, sequitur unam et solam naturam aliquam esse, quæ sic est aliis superior, ut nulli inferior sit. Sed quod tale est, maximum et optimum est

omnium quæ sunt. Est igitur quædam natura, quæ est summum omnium quæ sunt. Hoc autem esse non potest, nisi et ipsa est per se id quod est, et cuncta quæ sunt, sunt per ipsam id quod sunt. Nam quum paulo ante (cap. III) ratio docuerit, id quod per se est, et per quod alia cuncta sunt, esse summum omnium quæ sunt, aut e contrario id, quod est summum, est per se, et cuncta alia per illud, aut sunt plura summa. Sed plura summa non esse manifestum est. Quare est quædam natura, vel substantia, vel essentia, quæ est per se bona et magna, et per se est id quod est, et per quam est quidquid vere aut bonum, aut magnum, aut aliquid est, et quæ est summum bonum, summum magnum, « summum ens sive subsistens, » id est, summum omnium quæ sunt.

Hoc primum illa in ratiocinatione exprobrandum nobis videtur, quod nullum faciat naturarum substantiarumque discrimen et quæ separata sint distinctaqne permisceat. Natura quidem et essentia duo sunt verba quæ rem significant eamdem proprietatumque summam indicant quibus quæque insignitur individuorum classis et ordo, quæque substantiarum categoria dignoscitur; ens quoque et substantia duo verba sunt quæ idem valent. Longe autem hoc secus est, si ens cum essentia, substantiam cum natura composueris : aliam enim sub hac voce, aliam sub illa sententiam videbis esse subjectam. Anselmus igitur, quum hoc vult demonstrare unam et solam esse naturam quæ sic præstet cæteris ut non habeat se superiorem, quumque dicit hujusmodi naturas, si plures sint, utique esse æquales, nec posse æquales esse nisi per communem ipsarum essentiam, quæ quandoquidem una sit, unam et necessario requirat esse naturam, quia idem hic naturam debeamus intelligere quod essentiam, rectissime,

fateor, et ratiocinatur et concludit; si vero quod de natura dixit ad substantiam transferat (et transferat necesse est, si comprobatam vult suam conclusionem, scilicet quamdam esse naturam, vel substantiam quæ sit per se bona et magna, etc.), et sic jam argumentetur, unam et solam esse substantiam, quæ ita super cæteras emineat, ut non habeat se superiorem, quoniam si plures esse faceremus, et æquales eæ ex necessitate essent, et per nihil aliud æquales nisi per communem ipsarum essentiam, quæ, quandoquidem una sit, unam et substantiam esse postularet, quippe quum eamdem rem essentia quam substantia significet, nonne illud esset absurdum atque a consuetudine communis sensus abhorreret? Nullo enim modo essentia substantiæ potest assimilari.

Sed jam prætereamus : quod Anselmo præcipue et singulariter objicimus, quod ei suo in argumento maxime crimini dandum existimamus, invalida denique imbecillaque pars qua totum corruit dialectici ædificium, illa est quasi violenta repugnantium rerum assimilatio, qua easdem vult esse naturam aut substantiam, quam cæteris naturis aut substantiis superiorem esse posuit, et naturam aut substantiam quæ ipsa est per se id quod est et per quam est quidquid essentialiter est aut substantialiter. Quantum autem inter eas intervallum interjectum est! Quantumvis licet inter se distent, intervallum Anselmus commodo suo transilit atque uno saltu superat. Quid tandem ille assecutus est, quum ultimam supremamque naturam substantiamve attigit, qua finitarum creatarumque naturarum substantiarumve progressio terminatur, nisi ad quamdam pervenit naturam vel substantiam, quæ, etiamsi cæteris seriei superior sit terminis, finitarum tamen creatarumque naturarum vel substantiarum serie continetur,

in eaque inhæret, neque extra eam poni potest, quæque idcirco et ipsa finita est createque. Transgressus igitur seriei fines, id est, his quæ ad concludendum sumpta erant probatis, quæ vis eis insit, quid valeant et quam late pateant oblitus, hoc intra seriem verum esse affirmat quod nisi extra seriem non verum est, ita ut quod tantum inter finita primum est atque supremum, gratuito illud et nullam ob rem summæ absolutæque et necessariæ omnium quæ sunt causæ ad dignitatem producat. Neve contendat Anselmus, hoc probato (cap. III) id quod per se est, et per quod alia cuncta sunt, esse summum omnium quæ sunt, consequens esse ut id quod est summum, sit per se et cuncta alia per illud ; etenim si non esset, plura esse summa oportere ; quod si nobis placeat, nos manifesto absurdos esse, quandoquidem qui est summus, scilicet omnibus superior, nullum sibi æqualem admittat : hoc, inquam, ne contendat Anselmus, quia in IV quidem capitulo de eo uno agitur quod finitarum rerum finitum est caput, nequaquam autem, ut in capite III, de summo omnium quæ sunt, id est de eo quod ipsum finitarum rerum finitum caput præcellit. Claudicat igitur IV capituli argumentum, atque hic solertissimus ille in disserendo dialecticus a nimiæ subtilitatis reprehensione non omnino fortasse abest.

Illud quidem nobis quartum contra Monologii capitulum dicendum erat ; properamus autem fateri hoc capitulum minimi inter quatuor capitula esse momenti, nedum primum locum obtineat. Omisso igitur infelici illo nove atque insolenter argumentandi periculo, agnoscere oportet et cum summa testificatione profiteri, firmissimam esse in universum Monologii argumentationem neque ullo modo confutari refellique posse.

Jam superest mihi hoc solum enucleandum, num Anselmus, sicut Deum esse demonstravit, et unum esse Deum firme ac potenter probet. Quamdiu enim in dubio est, utrum sit unum summum, an plura, nec de hac re liquet et constat, aliquid in argumentis desideratur quibus Deum esse ratio docet. Anselmi autem exactior est et undique perfectior dialectica, quam ut istud missum faciat. Tertio Monologii capite Dei unitatem tractavit, et pluribus verbis amplexus quæcunque rei conveniebant fuse lateque disputavit. Quem locum primo dissertationis nostræ capitulo (pag. 11) quum totum transcripserimus, satis erit in præsenti breviter contractum si referemus.

Priore tertii capitis in parte demonstravit Anselmus, quoniam quidquid est per nihil esse non possit neque ipsum per se exstiterit, necessario aliquam esse, extra et supra universum, omnium existentium causam. Pergit nunc et quærit utrum unum sit, an plura, per quæ sunt cuncta quæ sunt. Si sunt plura, aut ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt; aut eadem plura singula sunt per se; aut ipsa per se invicem sunt. At si plures rerum universitatis causæ sunt per unum, non jam sunt plures rerum universitatis causæ; sed potius cuncta quæ sunt, per id unum sunt, per quod ipsæ sunt plures causæ. Si vero plures causæ singulæ sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se, qua habent ut per se sint. Non est autem dubium quin per idipsum unum sint, per quod habent ut sint per se. Verius ergo per idipsum unum rerum universitas est, quam per plures causas quæ sine eo uno esse nequeunt. Ut vero plures causæ per se invicem sint, nulla patitur ratio, quoniam irrationale est aliquid esse per id cui dat esse : nam ne ipsa qui-

dem relativa sic sunt per se invicem. Unum igitur necesse est illud esse, per quod sunt cuncta quæ sunt.

Ita argumentatur Anselmus ut universi causam unam esse ostendat. Quam argumentationem vera æstimatione perpensam momento suo ponderare conabimur. Ut plures sint universi causæ, aliter atque aliter fieri posse monstrat Anselmus, quoquo autem modo se res habeat, plures illas ad unam necessario evadere causas, aut non esse. Unde tres exoriuntur probationes, quarum quæ firmior sit, quæ infirmior singillatim nobis exquirendum est. Firmissimam equidem ducimus primam necnon tertiam probationem : quod si enim plures universi causæ una e causa nascuntur existuntque, ab ea et ipsum prodire gignique universum dici potest, nec jam plures manent rerum universitatis causæ; rursus si plures causæ sese invicem pariunt atque creant, ad nihil aliud pervenimus cadimusque, nisi quod ipsæ suis causæ effectibus efficiantur aut suarum ipsi effectus causarum causæ fiant, quod prorsus ineptum est, neque magis hoc modo plures causæ stare valent. Nihil igitur hucusque Anselmi in argumentatione reprehendendum. Superest ut secundam excutiamus probationem. In ea plures esse causas Anselmus ponit, quarum unaquæque ipsa per se sit atque stet, nulla alia adjuvante. Vitiosa autem est quæ inde sequitur ratiocinatio. Etenim, si plures causæ singulæ sunt per se, continuone una quædam vis est per quam sunt per se, ergo per quam sunt plures causæ, ita ut unam causam esse affirmare possis, per quam sint omnes universi causæ, ipsum igitur et universum ? Dicere quidem licet plurium causarum, utpote per se existentium, communem esse naturam, non vero unam aliquam vim vel naturam esse qua illæ habeant ut sint per se. Hoc loco, ut supra, videtur

nobis Anselmus, quibusdam verbis, *vi* scilicet *naturaque,* perplexe usus, ambiguam sermoni alligare significationem. Una igitur triplici in probatione pars nutatque labatque, qua quidem procidente tota corruit argumentatio.

Anquiro præterea cur triplici tantum modo fieri posse Anselmus arbitratus sit ut plures sint rerum universitatis causæ, et, postquam dixit : Si plures sunt causæ, ad unum revocari possunt principium per quod existunt, non adjiciat : Aut ad plura ; manifesta enim res est hoc quoque fieri posse ut plures a pluribus principiis causæ originem ducant, atque id jure optimo examinandum fuisset et disputandum, quomodo adhuc summi principii retineatur unitas et permaneat. At istam, fateor quidem, argumentationis partem haud facile Anselmus constituisset probassetque, quamvis tali etiam rerum statu Dei unitatem tueri si studuisset, nequaquam impossibilia aggressus esset. Alterum igitur hoc vitium Anselmi in argumentatione carptum arguimus, quod dialectici non plenam, id est quæ ex aliqua parte claudit, enumerationem appellant. Ergo unum esse Deum non firme ab Anselmo demonstratum est. Unde fit ut neque id satis firme jam stet quod extremo in capite ut consequens enuntiatur, scilicet illam per quam universa existunt causam, quum ea sit et per quam sint cuncta quæ sunt et quæ sit ipsa una, nullo ortu generatam fuisse, sed constare per se ipsam.

Agnoscamus igitur bona fide unum esse Deum non posse syllogismis demonstrari. Ex hoc autem continetur unio Divinitatis, quod una est omnium formatorum et œconomia et ratio. Ergo non est periculum ne illa unio in dubium vocetur habeaturque in incerto : eo, duce consensione naturæ et mundi concordia, vehimur. Hic quoque ad experientiam et

rerum periclitationem redeundum, a qua omnis philosophia, omnis de humanis divinisque quæstio proficisci et principia capere debet.

Hoc extremum, antequam Monologio et probationibus quæ in experientia positæ sunt desinamus : vidimus, tertii capitis in clausula, attingi breviter præstringique ab Anselmo permagnam illam gravissimamque quæstionem, utrum universi causa sit per seipsam. Quod propositum demonstrari posse, pernotum est a Kantio infitiatum, unde longissima exorta est controversia, et nondum cepit disceptatio finem. Rem quidem alte repetere aut pluribus verbis fusiusque disserere nolo ; pauca tamen debeo dicere, e quibus Anselmi compleatur sententia cumuleturque, qui, in ipsam rem non ingressus, de quo agitur propositum in singulis quatuor capitibus enuntiavit tantum, non demonstravit. Si hoc posito, ait Kantius, suam quidquid est habere causam et nihil posse per seipsum existere, Deum esse demonstraveris, ex hoc quod posuisti pernecesse est, postquam universi causa reperta erit, et causæ istius causa investigetur, et inde porro usque ad infinitum causarum quærantur causæ, non unquam sinente a quo progressus es initio ut ultimum tandem consecutus terminum in extrema serie subsideas. Kantio contradicentes hoc unum respondebimus, minime nos abhinc profectos esse : Suam quidquid est causam habet, id est nihil sibi sua ratio est cur existat, sed ab hoc, quod longe aliud est, initio : Suam quidquid finitum est causam habet. Jam tum, dummodo infinita sit causa mundi, finitarumque rerum naturam transgressa prætereat, nihil obstat quominus universi principium nullo ipsum indigeat principio.

Hoc igitur propositum : Deus est per se, ab illo : Unus est

Deus, disjunctum est ac separatum ; duæ sunt res extraneæ ; quin imo, de hac quæstione, utrum sit per se Deus, ante omnia agendum est, nedum, quod contra facit Anselmus, unum esse Deum prius, utrum sit per se posterius utpote consequens tractetur.

Ita quidem videtur nobis defendi et sustineri posse per se esse Deum, ita et Deum esse : quippe hoc ex illo pendet, neque Deus, nisi per se est, Dei nomine est dignus ; quamobrem quotiescunque de cosmologico argumento nobis fuit disserendum, semper expresse diximus universarum rerum causam trans et supra finitum mundum positam esse. Illud denique, antequam Monologium quadruplicemque empiricam argumentationem relinqueremus, adjiciendum erat, ut nihil eximiæ illi deesset ratiocinationi, ex qua non parvam sane æquum est, qui eam octo abhinc sæcula introduxit, Anselmum adipisci laudem, quanquam a recentioribus philosophis pervulgata, in medium allata est.

Proslogion nunc et merum rationale, quod dicitur ontologicum, argumentum aggrediamur. Hic quidem tota funditus mutata est methodus ; eo autem quo pacto Anselmus perductus fuerit, rigidioris coercente rationis severitate, primo dissertationis nostræ in capitulo vidimus. Mathematico illi opus erat argumento, quod totum verum semel exprimeret, totam semel ante oculos lucem eliceret, neque obliquo et longiore, sed recto brevique itinere ad rem ipsam veniret propositumque assequeretur, ita ut non magno conatu, non multa contentione laborans, primo statim aditu intellectus exploratam rem persuasissimamque haberet. Externa igitur, a quibus omnes antehac probationes sumpserat, oblitus, nihil aliud nisi humanam mentem secreto percontatam consuluit,

et totum e summi boni humanæ rationi informata insitaque notione eruit argumentum. Sic meram rationalem probationem, unum atque ex omni parte perfectum syllogismum habuit. Secundum Proslogii caput supra rétulimus (pag. 14); quem ad locum legentem remittere liceat, omissaque idonea illa cum pictore collatione, jam satis sit nudam transcribere argumentationem : « Convincitur etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest; quia hoc quum audit, intelligit; et quidquid intelligitur, in intellectu est. Et certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re : quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu, idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest : sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu, et in re. »

Habebat, inquam, perfectum suum Anselmus absolutumque syllogismum, quo non poterat quin persuaderetur insipiens; habebat, aut saltem se habere existimabat. Vix autem Proslogion editum erat, quum provocatus insipiens, proprio Anselmum retorto argumento se confutaturum confisus, nedum se victum profiteretur et quidquam de sua pervicacia remitteret, rem ad probandum tam firmam infirmare et labefactare ausus est. Qui inexspectatus improvisusque adversarius, neque impar Beccensi abbati ratiocinator, Majoris Monasterii monachus nomine Gaunilo erat. In opusculo quod inscriptum est : *Liber pro insipiente*, priscorum temporum ille Kantius, ut Hegel ait, duabus rationibus refutatæ Anselmi argumentationi contradicit : negat perfecti notionem inesse humanæ menti; ostendit, comparatione feliciter usus,

etiamsi in intellectu sit perfectum, non ideo esse et in re. Ita et unde Anselmus proficiscitur principium et viam qua progreditur, et quæ ad concludendum sumpta sunt et ipsam syllogismi conclusionem redarguit Gaunilo et refellit.

Illud, ait Gaunilo, omnibus quæ cogitari possunt majus, quod nihil aliud posse esse dicitur nisi ipse Deus, ego secundum rem, vel ex specie mihi vel ex genere notam, cogitare auditum in intellectuque habere non possum. Equidem si de homine aliquo, mihi prorsus ignoto, quem etiam esse nescirem, dici tamen aliquid audirem, per illam specialem generalemve notitiam, qua quid sit homo vel homines novi, de illo quoque secundum rem ipsam, quæ est homo, cogitare possem. Non autem aut rem ipsam, quæ Deus est, novi; aut ipsam possum conjicere ex alia simili, quandoquidem et tu talem asseris illam, ut simile quidquam esse non possit. (Liber pro insipiente, 4).

Pergit Gaunilo : Aiunt quidam alicubi Oceani esse insulam, quam ex difficultate vel potius impossibilitate inveniendi quod non est, cognominant aliqui perditam : quamque fabulantur multo amplius, quam de fortunatis insulis fertur, divitiarum deliciarumque omnium inæstimabili ubertate pollere, nulloque possessore aut habitatore, universis aliis, quas incolunt homines, terris possidendorum redundantia usquequaque præstare. Hoc ita esse dicat mihi quisquam; et ego facile dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam. At si tunc velut consequenter adjungat ac dicat : Non potes ultra dubitare insulam omnibus terris præstantiorem vere esse alicubi in re, quam et in intellectu tuo non ambigis esse : et quia præstantius est non in intellectu solo, sed etiam esse in re; ideo sic eam necesse est esse; quia nisi fuerit, quæcunque

alia in re est terra præstantior illa erit; ac sic ipsa jam a te præstantior intellecta, præstantior non erit. Si, inquam, per hæc ille mihi velit astruere de insula illa, quod vere sit, et ambigendum ultra non esse : aut jocari ipsum credam, aut nescio quem stultiorem debeam reputare; utrum me, si ei concedam; an illum, si se putet aliqua certitudine insulæ illius essentiam astruxisse, nisi prius ipsam præstantiam ejus solummodo sicut rem vere atque indubie existentem, nec ullatenus sicut falsum aut incertum aliquid in intellectu meo esse docuerit. (Liber pro insipiente, 6).

Respondentis pro insipiente neque hebetem neque pertenuem esse argumentationem adeo sensit Anselmus[1], ut Proslogii ratiocinationis, qua nihil potentius fore crediderat, vi propriæ non jam fidens, librum apologeticum contra Gaunilonem scripserit, in quo ostendere conatur aliam esse summæ illius rei qua nihil majus cogitari potest, scilicet Infiniti et Perfecti, aliam ficticiæ insulæ ideam, ita ut hanc illi æquiparare non liceat; et, quia cogitare vel habere in cogitatione et intelligere vel habere in intellectu Gaunilo distinxerat, Anselmus quid inter posse cogitari non esse et posse intelligi non esse intersit, quæque utrique vocabulo vis subjecta sit constituit. Ambos equidem theologos non sequemur per omnes controversiæ et ambages et laqueos (controversiam dico, non concertationem, quippe quum summa, pro temporibus illis, fuerit inter eos disputandi humanitas comi-

[1] « Qualia vero sint et alia quæ mihi objicis pro insipiente, facile est deprehendere vel parum sapienti; et ideo id ostendere supersedendum existimaveram. Sed quoniam audio quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri, paucis de illis commemorabo. » (Liber apologeticus, cap. V).

tasque)[1] : satis erit nobis versute ac solerter a Gaunilone reprehensum Proslogii argumentum hoc modo vituperare :

Est in intellectu aliquid, ait Anselmus, quo nihil majus cogitari potest. Quæ verba huc redeunt : est in intellectu perfectum quoddam, id est cui nihil boni optabilisque addere possis, quod non jam possideat. Num sequitur inde ut perfectum illud sit in re ? Sequitur, ait Anselmus : etenim si in solo intellectu esset, et in re esse illud possem cogitare, ergo aliquid ei addere quod tale cogitavi quale nihil sibi adjici pateretur : quæ inter se pugnarent neque essent consentanea. Respondeo in illa quam habeo de Perfecto cogitatione, et cætera bona expetendaque et ipsum *esse* jam inde a principio contineri, nedum cæteris proprietatibus postea adjiciatur ; nam quicunque dicit Perfectum se cogitare, idem prorsus dicit ac si perfectum Ens se cogitare dicat : num enim essent Perfectum copulatæ quædam, nullo substrato, proprietates ? *Ens* autem perfectum habere in intellectu, nec simul cogi-

[1] Hunc enim in modum Gaunilo Librum pro insipiente concludit : « Cætera libelli illius (Proslogii) tam veraciter et tam præclare sunt magnificeque disserta, tanta denique referta utilitate, et pii ac santi affectus intimo quodam odore fragrantia (quod quidem a Gaunilone rectissime et notatum est et dictum, ardentemque illam, qua insigniuntur Anselmi scripta, pietatem aptissime indicatam designat), ut nullo modo propter illa, quæ in initiis recte quidem sensa, sed minus firmiter argumentata sunt, ista sint contemnenda, sed illa potius argumentanda robustius, ac omnia cum ingenti veneratione et laude suscipienda. » — Hæc autem est ipsius Anselmi in libro apologetico contra Gaunilonem clausula : « Gratias ago benignitati tuæ et in reprehensione, et in laude opusculi mei. Quum enim ea, quæ tibi digna susceptione videntur, tanta laude extulisti, satis apparet, quia quæ tibi infirma visa sunt, benevolentia, non malevolentia, reprehendisti. » (Lib. apolog., cap. X).

tare illud *esse*, non potui. (Cogitare dico, non intelligere, quum aliud sit aliquid cogitare ens, aliudque ei utpote existenti assentiri.) Quid multa? Quod illi adjici contendis, cui nihil adjici potest, scilicet *esse*, hoc a cogitatione ductum recidit ad cogitationem, nec quidquam ad perfecti *Entis* notionem addit quam in intellectu informatam impressamque habebas. Nihil jam syllogismi inter terminos disconvenit, et tota ruit quæ dicebatur per absurdum argumentatio.

Hoc alioquin dudum inter annotanda positum est, ratiocinationes per absurdum non ita, ut sunt aliæ, ad faciendam fidem esse idoneas, semperque in animis aliquid dubii relinquere : quapropter et mathematici istiusmodi probationes non libenter, et tunc modo quum cæterarum est penuria, usurpant.

Proslogii igitur syllogismus, cujus tam firme inter se connexæ videbantur partes, si ratio eum excutit, neque stat neque periculum perferre potest, ita ut sit confitendum non adeo inepte Gaunilonem sua usum esse collatione : sit enim an non sit Perdita insula in re, id insulæ illius ad notionem nihil addit, quam universis insulis antecellere cogitavimus et præstare.

Quod si Proslogii argumentationem rejicimus, ab Anselmo excogitatum non ideo aspernamur argumentum quod animo insitæ Perfecti notitiæ innititur, dummodo in hanc formetur speciem quam apud Cartesium reperimus quamque a Cartesio traditam recentior assumpsit philosophia, scilicet humanæ menti inesse infiniti seu perfecti ideam, eam autem, quum neque ab externis rebus, neque a nobis ipsis, utpote finitis imperfectisque, originem ducat, necessario nos ab infinito seu perfecto Ente accepisse ; inde fieri ut non solo in

intellectu, sed in re etiam sit infinitum sive perfectum [1]. Qua quidem in ratiocinatione adeo non perversi quidquam falsique argui potest, ut, quantum syllogismi postulat ratio et lex, legitima prorsus normalisque dicenda sit; primam tantum propositionem atque hoc unde cætera abeunt proficiscunturque principium, scilicet illam quam humano intellectui insitam ait Cartesius infiniti perfective ideam, licentius forsitan et audacius carpet aliquis dicens : Asserat licet Cartesius [2] clariorem distinctioremque ipsa corporum notione infiniti esse notionem, non satis liquida est dilucidaque illius infiniti notio quod ita a Cartesio definitur : id est infinitum cui nihil adjici potest [3]; atque haud scio an omnino erraverint Gassendiusque et Hobbesius, qui hoc Cartesio increpuerunt, quod appellaverit infinitum quod nihil aliud nisi indefinitum sit, insitumque crediderit informatumque humanæ menti quod cogitationis tantummodo, omnem finitarum rerum in proprietatibus finem ac terminum tollentis, labore atque opera effingatur [4]. Jam vero animadverto nos quartum commentationis nostræ incedere in capitulum et hanc quasi præceptam rem tractare : quæ fuerit Anselmi argumentorum ex quo ipse exstinctus est fortuna. De quo nunc est disserendum.

[1] Cartes., Meditationes; meditatio tertia. — Cf. Réponses aux deuxièmes objections.

[2] Ibidem.

[3] Ibidem.

[4] Hoc asserere potuisset, nullo contradicente, Cartesius, pulchri quidquid bonique finitis in rebus et apud nos ipsos experientia comperimus, facere locum ansasque dare ad eximiam quamdam pulchritudinem bonitatemque concipiendam, quam quidem, nisi causæ efficientis per vim et virtutem principii, ab intellectu in rem transferre nos non licet. Sic autem ad empiricum Monologii, platonicum videlicet, reducimur argumentum.

CAPUT IV.

De varia illorum argumentorum post Anselmi ætatem fortuna.

Unum Anselmi inter argumenta vere novum, unum et oppugnantium vi impetuique objectum, nonnullas in reprehensiones incurrerat Proslogii argumentum; quod, etsi in illud impugnatum erat impetusque fuerat factus, exstincto Anselmo non cecidit, sed post inventoris obitum superstes, nunc cum ingenti assensu acceptum, nunc offendens refrigescensque, per sæcula mansit perlongique temporis ad memoriam vixit. Non jam revertor ad Gaunilonem, qui, adhuc vivente Anselmo, contra Proslogii argumentationem haud spernendus adversarius disputavit. Quod si autem scholasticos, inclytos maxime tertii decimi sæculi doctores, adimus, Anselmianum eos videmus non magni facere argumentum, imo pro paralogismo habere. Sic Scholæ angelus Thomas, sic Doctor subtilis Scotus, et Occam postea, et Gerson, totum denique scholasticorum agmen, exceptis tantum Doctore seraphico Bonaventura, et, qui, doctorum doctissimus, haud injuria Magnus dictus est, Alberto, et, cujus Albertus magister fuit, Henrico Gandavensi, necnon ignobiliore theologo, Scoti discipulo, Petro Auriol[1]. Satis erit

[1] Comment. Lib. sent. I, Dist. II, A. 6. Vide Charles de

D. Thomam, Scholæ angelum, adducere, qui, Sum. Theol., part. I, quæst. 2, De Deo, an sit, art. 1, Ultrum Deum esse sit per se notum [2], in hunc modum loquitur :

« Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Deum esse sit per se notum. Illa enim nobis dicuntur per se nota, quorum cognitio nobis naturaliter inest, sicut patet de primis principiis. Sed sicut dicit Damas. in prin. libri sui, Omnibus cognitio existendi Deum naturaliter est inserta : ergo Deum esse est per se notum.

« Præterea, illa dicuntur esse per se nota, quæ statim cognitis terminis cognoscuntur : quod Philosophus attribuit primis demonstrationis principiis, in I Poste. Scito enim quid est totum, et quid pars, statim scitur, quod omne totum majus est sua parte : sed intellecto quid significet hoc nomen Deus, statim habetur, quod Deus est. Significatur enim hoc nomine id, quo majus significari non potest : majus autem est quod est in re et intellectu, quam quod est in intellectu tantum : unde, quum, intellecto hoc nomine, Deus statim sit in intellectu, sequitur etiam quod sit in re : ergo Deum esse, est per se notum

« Prœterea, veritatem esse, est per se notum, quia, qui negat veritatem esse, concedit veritatem non esse. Si enim veritas non est, verum est, veritatem non esse. Si autem est aliquid verum, oportet, quod veritas sit. Deus autem est

Rémusat, Saint Anselme de Cantorbéry, tableau de la vie monastique et de la lutte du pouvoir spirituel avec le pouvoir temporel au onzième siècle, 2me éd., Paris, 1868, in 12; liv. II, chap. V, pag. 450; et Jourdain, Philosophie de Saint Thomas d'Aquin, t. I, liv. II, chap. 3.

[2] Cf. Sum. cont. Gent., lib. I, cap. 10 et 11.

ipse veritas : Joan. 14. Ego sum via, veritas et vita. Ergo Deum esse, est per se notum.

« Sed contra, nullus potest cogitare oppositum ejus, quod est per se notum, ut patet per Philosophum in 4. Met. et primo Poster. circa prima demonstrationis principia : cogitari autem potest oppositum ejus, quod est Deum esse, secundum illud Psal. 52. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Ergo Deum esse, non per se notum.

« Respondeo dicendum, quod contingit, aliquid esse per se notum dupliciter : uno modo secundum se, et non quoad nos, alio modo secundum se, et quoad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in ratione subjecti, ut homo est animal ; nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de prædicato, et de subjecto, quod sit, propositio illa erit omnibus per se nota sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quædam communia, quæ nullus ignorat, ut ens et non ens, totum et pars, et similia. Si autem apud aliquos notum non sit de prædicato et subjecto quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui prædicatum et subjectum propositionis ignorant [1]. Et ideo contingit, ut dicit Boet. in lib. de hebdo., quod quædam sunt animi conceptiones, et per se notæ apud sapientes tantum : ut incorporalia in loco non esse. Dico ergo, quod hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est : quia prædicatum est idem cum subjecto : Deus enim est suum esse, ut infra patebit. Sed quia nos non scimus

[1] Discreta hic jam a D. Thoma videmus, quæ quinque post sæculis Kantius tam distincte sejunget, analytica scilicet syntheticaque judicia.

de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet per effectus.

« Ad primum ergo dicendum quod cognoscere Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, in quantum, scilicet Deus est hominis beatitudo, homo enim naturaliter desiderat beatitudinem : et quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum : quamvis sit Petrus veniens : multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias, quidam vero voluptates, quidam autem aliquid aliud.

« Ad secundum dicendum, quod forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit, quum quidam crediderint, Deum esse corpus. Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine Deus, significari hoc, quod dicitur, scilicet illud, quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quot sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest : quod non est datum a ponentibus Deum non esse.

« Ad tertium dicendum, quod veritatem esse in communi, est per se notum : sed Primam veritatem esse, hoc non est per se notum, quoad nos[1]. »

[1] Summa totius theologiæ D. Thomæ Aquinatis Doctoris angelici, cum commentariis D. Thomæ de Vio, Cajetani, 4 vol. in fol., Lugduni, 1581; tom. I, pag. 12 et 13.

Ait igitur D. Thomas:

1° Non satis claram et simplicem esse humanæ menti insitam infiniti perfective notionem. « Hæc propositio, Deus est, quia nos non scimus de Deo quid sit, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, scilicet per effectus. — Cognoscere Deum esse nobis naturaliter est insertum in aliquo communi sub quadam confusione, sed non simpliciter. — Et forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid quo majus cogitari non possit, quum quidam crediderint Deum esse corpus. »

2° Etiamsi clare et simpliciter perfecti notio humanæ menti inesset, haudquaquam sequi ut quod est in intellectu, et in re sit infinitum. « Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine Deus significari hoc quod dicitur, scilicet illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest: quod non est datum a ponentibus Deum non esse. »

Ergo negat D. Thomas humanæ menti inesse claram et distinctam infiniti perfective notionem; quæ etiamsi inesset, realem ab ideali infiniti existentiam nequaquam ait concludi posse [1].

[1] J. Duns Scotus (Opera, Lugd., 1639; tom. V, pars I, distinct. 2, quæst. 2, § 8) duobus contineri syllogismis Anselmi demonstrationem dicit. Primus syllogismus: Omni non-ente ens est majus; summo nihil est majus, ergo nullum summum est non-ens. Syllogismus alter: Quod non est non-ens est ens; summum non est

Talis fuit Proslogii apud scholasticos fortuna argumenti. Hæc autem fata ontologicum argumentum manebant, ut a scholastica philosophia calcatum oppressumque, tum resurgeret fractasque restitueret opes, quum ipsa scholastica, inclinatis rebus, deminueretur philosophia et in deterius laberetur. Cartesius enim, qui senescentem philosophiam refecit instauravitque, et recentiorem illam instituit doctrinam quæ, in conscientia posita, scholasticam disciplinam pulsit

non-ens, ergo est ens. Illud quidem jocus est, non confutatio, nec gravem philosophum istiusmodi ludibrium decet. (Vide Emile Saisset, De varia S. Anselmi in Proslogio argumenti fortuna, dissert. academ., Parisiis, 1840; pag. 28-36). — Occam in lib. I Sententiarum, dist. 3, q. 4, atque in Centilogio theologico, f. 1, et ontologicum, quo nihil est Anselmo antiquius, et cosmologicum, quod potius habetur ab Aquinate, argumentum æque et promiscue refellit. (Vide Alf. Weber, Hist. de la philos. europ., 2[me] éd., Paris, 1878; p. 257). — Sic loquitur Gerson: « Nescio quis insipientor sit, an is qui putat hoc sequi (Deum, si est in intellectu, esse et in re), an insipiens qui dixit in corde suo: Non est Deus. (J. Gerson ap. Carth. in prim. dist. quæst. 2, ad fin. Vide Saisset, op. cit., ibid.). — « Bonaventura (Opusc., p. 712. Compend. theol. verit. lib. I. De nat. Dei, cap. I), ait Saisset (op. cit., ibid.), quanquam Proslogium et laudat et probat, a posteriori tamen Deum demonstrat. Hildebertus quoque, Anselmi æqualis, argumento quod vocant a posteriori tantummodo utebatur (Tract. theol. cap. I, ed. Beaug.). » — Albertus Magnus (Opera, tom. XVII, Sum. theol. pars I, tract. III, quæst. 17. Cf. ibid. quæst. 19): « Et sic, inquit, relinquitur quod soli Deo proprium est esse, et non posse non esse, et non posse cogitari non esse. » (Vide Saisset, op. cit., ibid.). — Henricus Gandavensis, Sum. theol., art. 22, quæst. 3: « Non contingit, inquit, cogitare Deum, non cogitando Deum esse, quia talis cogitatio sequitur naturam rei, et consistit veritas talis cogitationis in adæquatione quadam rei et intellectus. » Cf. lib. seu catal. de script. ill. cap. 3. (Vide Saisset, op. cit., ibid.; Huet, Rech. sur Henri de Gand, Paris, 1839, p. 168).

illiusque in locum subiit, Cartesius, postquam tertia in Meditatione hoc argumento Deum esse demonstravit quod modo (pag. 44 s.) retulimus, alterum demonstrandi genus Medit. V proponit, felicissimam quidem, ut opinatur, ingenii sui inventionem cæterisque demonstrationibus longe præstantem, per quam esse Deum et tam sit in promptu et tam manifesto luceat, ut geometricam suam illam dicat probationem: Ex eo quod alicujus rei notio meo intellectui inest, sequitur quidquid clare et distincte agnosco hujus notionis esse proprium, et rei ipsius proprium esse. Dei sive perfecti Entis notio meo intellectui inest, id est rei quæ omnes in se perfectiones trahit. Una autem e perfectionibus est existentia. Ergo existentia Dei est proprium, et Deum existere verum est [1].

Eamdem aliter expositam et mathematicorum more expressam argumentationem apud Cartesium reperimus: « Idem est dicere attributum aliquod in rei alicujus natura, sive conceptu contineri, ac dicere hoc attributum de ea re esse verum et certo in ea contineri. Atqui existentia necessaria in Dei natura sive conceptu continetur. Ergo verum est dicere necessariam existentiam in Deo esse, sive Deum existere [2]. »

Non unum et idem Cartesii atque Anselmi argumentum, et suam uterque sequitur viam; simile est tamen Anselmiano

[1] Medit. V, Œuvres de Descartes, éd. Jules Simon, Paris, 1868, in 12, pag. 107-108.

[2] Réponses aux deuxièmes objections, Œuvres de Descartes, éd. Jules Simon, pag. 189. — Vide tertiam, non longe autem aliam, ejusdem argumenti formam, Réponses aux premières objections, pag. 149.

argumento Cartesianum : etenim ambo una perfecti seu summi boni notione freti, protinus ipsum Deum esse affirmant, qui si non esset in re, perfectum quod est in intellectu nostro non vere perfectum esset[1]. Non valentius igitur apud Cartesium, licet novo habitu vestitum, ontologicum argumentum est. Nempe, si priorem Cartesiani argumenti formam (Medit. V) consideramus, nequaquam perfectionum in numero existentiam haberi posse existimamus : quod ipse Cartesius videtur intellexisse, quandoquidem in Responsis ad secundas Objectiones non jam existentiam, sed necessariam existentiam dicat; si autem ad alteram formam (Responsa ad secundas Objectiones) nunc venimus, ex eo quod alicujus rei notitia meo intellectui inest, fit quidem ut ipsa in re, nec rei tantum in notitia contineatur quidquid clare et distincte agnosco in illa notitia contineri, ergo necessaria existentia;

[1] Quæritur utrum Cartesio Proslogii argumentum notum fuerit, an ipse quintæ Meditationis probationem invenerit excogitaveritque. Vult quidem Leibnitius (Nouveaux Essais, liv. IV, chap. X, § 7) suum Cartesium ab Anselmo mutuatum esse argumentum, utpote qui scholasticæ philosophiæ diutius Flexensi Jesuitarum in gymnasio studuisset. Non facile enim crederem Cartesium apud Jesuitas aut in Proslogio ipso, aut saltem D. Thomæ in Summa Anselmi argumentum non legisse. Quum autem quintæ Meditationis demonstrationem suam Cartesius esse plane confidat (vide Réponses aux premières objections, Œuv. de Desc., éd. J. Simon, p. 149), et alia sint amborum argumentorum, si non initium et exitus, at certe via et methodus, quid est cur Cartesio quod ipse suum esse ait, denegares? Huc equidem tuam sententiam inclinare restricte concedam, illum, quum jamdudum cum scholasticis non familiariter uteretur et quid accepisset ab illis oblitus esset, latentis in memoria Anselmiani argumenti, non conscium recordationis, atque, ut recentius usurpem vocabulum, per reminiscentiam recordatum esse.

necessaria autem in cogitatione existentia non idem est atque realis existentia, et hac tantum conditione si existit, Deus existit necessarie abstractum aliquid et ideale, ut omnia geometrica, est triangulum : omnes igitur trianguli proprietates, excepta trianguli reali existentia, e trianguli definitione ducere possum ; item de Dei notione omnipotentiam et cætera ejusmodi, attributa prædicatave scilicet, non realem Dei existentiam possum colligere ; quam ut demonstrare valeam, necesse est e notione Dei egrediar et ab abstractis ad realia, ab ideis ad experientiam transeam. Itaque deductivo illi quintæ Meditationis argumento, quo Cartesius nihil præstantius suis in Meditationibus esse ratus est, inductivam tertiæ Meditationis anteponendam ducimus probationem, quam superioris capituli in fine exprompsimus, scilicet nobis inesse infiniti perfective ideam, quæ quum neque a mundo, ut finito et imperfecto, neque a nobis, qui et ipsi finiti sumus et imperfecti, orta sit, ab infinito perfectove Ente veniat necesse est ; propterea que Deum omni ex necessitate existere. Cui quidem ratiocinationi, quod ad logicen pertinet, nihil deesse nobis visum est ; illorum tantummodo contradictioni est obnoxia, quibus hoc principium infitias ire placet, humanæ menti insitam esse claram distinctamque infiniti perfective ideam.

Sic a Cartesio restitutum renovatumque Proslogii argumentum apud omnes septimi decimi sæculi philosophos in maxima gratia fuit. Iterum exprimunt illud et iisdem fere ac Cartesius verbis reddunt Bossuetus[1] et

[1] Tribus argumentis Bossuetus (De la connaissance de Dieu et de soi-même) Deum esse demonstrat :

1° Mirabilem humani corporis structuram, necnon rationis mi-

Fenelo[1]; illud in pressam hanc sententiam breviter contrahit Malebranchius : « Satis est Deum cogitare ut sciatur Deum esse[2]; » illud denique (prætermitto, qui proprie vereque dicuntur, Cartesii discipulos, Clerselier, Regis, Clauberg, Geulinx, prætermitto et Spinosam), illud non contemnit Leibnitius, acceptissimum autem habet, hoc solum expetens, ut demonstretur in Perfecti notione inter se omnia consentanea esse nec quidquam disconvenire, id est posse esse Deum.

« Cartesius, ait Leibnitius, quum Anselmi renovaret pro existentia Dei argumentum, hoc modo ratiocinatus est : Quidquid ex alicujus rei idea, sive definitione sequitur, id de re potest prædicari. Existentia ex Dei (sive Entis perfectissimi, vel quo majus cogitari non potest) idea sequitur. (Ens enim perfectissimum involvit omnes perfectiones, in quarum numero est etiam existentia.) Ergo existentia de Deo potest

nisterium, quæ suprema oriuntur e sapientia, considerat (causarum finalium, sive physico-theologicum argumentum);

2° Æternas intuetur veritates, humano animo perceptas, atque in solo Deo constantes (platonicum, sive communium necessariarumque notionum argumentum);

3° Ostendit imperfecto, imperfecta videlicet humani intellectus natura, utique implicari perfectum (scimus nos esse imperfectos : quod scire non possumus, nisi perfecti notio nobis inest, quam animis impressit Ens perfectum; imaerfecta implicant perfectum, sicut minus implicat plus, sicut nihilum implicat esse).

[1] « Haud dubium est me infinitum quoddam et perfectum ens concipere; et quia eum concipio, ille existit. Hoc ipse est quod de illo cogito. — Non nisi ut existens ille concipi potest, quandoquidem ejus in essentia existentia continetur. Præsentem enim existentiam illius notioni inhærentem clare perspicio. Sic perfecti Entis, una ab notione, præsens existentia affirmanda est, ut a præsente mea cogitatione præsentem existentiam meam assevero. » (Fenelo, Traité de l'existence de Dieu, seconde partie, chap. 2.)

[2] Malebranch. Entretiens, II.

prædicari. Verum sciendum est, inde hoc tantum confici, si Deus est possibilis, sequitur quod existat; nam definitionibus non possumus tuto uti ad concludendum, antequam sciamus eas nullam involvere contradictionem. Cujus ratio est, quia de notionibus contradictionem involventibus simul possent concludi opposita, quod absurdum est[1]. » Hic celeberrimo utitur Leibnitius « exemplo motus celerrimi, qui absurdum implicat. Ponamus enim rotam aliquam celerrimo motu rotari, quis non videt, productum aliquem rotæ radium extremo suo celerius motum iri, quam in rotæ circumferentia clavum; hujus ergo motus non est celerrimus, contra hypothesin. Imterim prima fronte videri possit nos ideam motus celerrimi habere; intelligimus enim utique quid dicamus, at tamen nullam utique habemus ideam rerum impossibilium. » Num igitur fieri potest ut contradictionem involvat absurdumque implicet Infiniti definitio sive idea ? Non id profecto Leibnitius opinatus est, et quid de hoc sentiret ita expressit : « Deus solus (seu ens necessarium) hoc privilegio gaudet, quod necessario existat, si possibilis est. Et quemadmodum nihil possibilitatem ejus impedit, quod limitum expers, nec ullam negationem consequenter nec contradictionem involvit, hoc unicum sufficit ad cognoscendum existentiam Dei a priori. » Pernotum denique est quæ ultima et, ut ita dicam, suprema ontologico argumento forma a Leibnitio data fuerit :

[1] Leibnitius, Meditationes de cognitione, veritate et ideis. Leibnitii opera omnia, nunc primum collecta, etc., studio Ludovici Dutens, Genevæ, apud Fratres de Tournes, 1768, 6 vol. in-4°; Tom. II, Part. 1, p. 14. Leibnitii opera philosophica, ed. Erdmann, Berolini, 1840, in-8°, p. 80. — Idem iisdem ferme verbis iterum dicit Leibnitius, Nouveaux Essais, livr. IV, chap X, § 8. — Editæ sunt Meditationes anno 1684; Nouveaux Essais, 1703.

« Ens ex cujus essentia sequitur existentia, si est possibilis, id est, si habet essentiam, existit (Est axioma identicum demonstratione non indigens).

« Atqui Deus est ens ex cujus essentia sequitur existentia (Est definitio).

« Ergo Deus, si est possibilis, existit (per ipsius conceptus necessitatem). »

Nihil autem impedit, ut Leibnitius ipse confessus est, quominus Deus sit possibilis, quum nullam Infiniti, utpote limitum expertis, idea contradictionem involvat. Concludit igitur, sicut Anselmus Cartesiusque, Leibnitius : Cogito Deum : ergo Deus est.

Quamvis ad approbandam Cartesii argumentationem præclara illa ingenia consentirent, illique una voce optimus quisque philosophus suffragaretur, non tamen nulli septimo decimo sæculo fuerunt qui contra eam dixerint. Eam et sceptici et theologi quidam impugnaverunt, remotoque ab hoc sermone Voetio qui revera non contradictor, sed obtrectator fuerit, nominatim plures proferre possumus quorum objecta Cartesio respondendi copiam suppeditaverunt : Caterum (primæ Objectiones), Hobbesium (tertiæ Obj.)[1], Gassendum (quintæ Obj.) ; adde P. Daniel et Huetium. Inter quos sunt aliqui acerrimi ingenii viri, ita ut, qualis fuerat vivente Anselmo Gaunilo, tales quoque Cartesio vivente fuerint graves et haudquaquam spernendi auctores, quibus cogitare Deum non satis esse visum sit ut Deus existeret. Cartesianæ autem probationi fidem abrogare non potuerunt,

[1] Arnaldi hic nulla mentio est, quippe qui in Meditationibus non ontologicum, sed causæ efficientis argumentum reprehenderit (quartæ Obj.).

ontologicumque argumentum, ab Anselmo inventum renovatumque a Cartesio, septimi decimi sæculi in philosophia prævaluit. Octavo decimo sæculo cartesianæ disciplinæ fortunarum socium fit et particeps, cujus omnem auctoritatem et imminuit et aufert doctrina illa quæ solis nititur in sensibus. Irridetur etiam a Voltario[1] : multa autem seria irrisit Voltarius. Oppugnantibus tamen insectantibusque non succubuisset, nisi se protulisset Kantius et, delata ad rationem rationali ipsa probatione, melioribus certasset armis. Cujus totam disputationem in libro qui inscribitur *Kritik der reinen Vernunft* perlegere poteris[2] : quam accurate repetitam breviter complectamur necesse est.

Quærit primum Kantius, Entis necessario existentis idea utrum in cogitationem revera cadat, an nihil aliud sit nisi vacua notio et inanis (op. cit. § 713). — Nunc ipsam aggrediens argumentationem, asserit Kantius « non idem esse absolutam judiciorum necessitatem absolutamque necessitatem rerum, » id est necessitatem logicam et realem necessitatem. « Qui dicit : Triangulum habet tres angulos, ille non dicit necesse esse ut tres anguli existant, dato autem triangulo hoc sequi ut tres anguli in eo sint. » Item et Deus ipse, ea tantum conditione si existit, existit necessarie. « Quod si sublato prædicato servatum subjectum retineo, non est consentaneum, quippe quum prædicatum subjecto logica necessitate conjunctum sit. Quod si vero et prædicatum tollo et

[1] Voltaire, Contes en vers, les Systèmes.

[2] Critique de la raison pure, Dialectique transcendantale, liv. II, chap. III, sect. IV, De l'impossibilité d'une preuve ontologique de l'existence de Dieu ; trad. Tissot, 3me éd., Paris, 1864, 2 vol. in 8° ; tome II, pag. 214-223.

subjectum, hæc inter se non pugnant neque res concurrunt contrariæ. Non convenit triangulum, tribus sublatis angulis, cogitare; nihil autem disconveniens una cum tribus angulis et triangulum tollere. Haudquaquam aliter, quod Entis necessarie existentis attinet ad notionem. De quo si existentiam detraxeris, tolletur simul ipsa res, tollentur et cuncta rei attributa: quid discrepantis jam repugnantisque? Extra rem nihil repugnat, quippe quæ non necessario existat extrinsecus; nihil repugnat intra rem, sublata enim re, quidquid intus erat sublatum est. Omnipotens est Deus: necessarium id est judicium. Etenim de perfecti Entis idea omnipotentiam nullo modo detrahere potes. Quod si autem dixeris: Non est Deus, jam neque omnipotentia neque ullum superest attributum: namque omnia sublata sunt; nec in ea sententia quidquam discrepat repugnatque. » (Op. cit. § 715 et 716.) — Ad alterum nunc Kantius confutandi genus transit, hac fultum distinctione quam analytica seu explicativa inter et synthetica sive extensiva judicia instituit [1]. Concedo, ait Kantius, ut possibile sit Ens perfectum (concedo, etsi plurimum abest ut, ex eo quod nihil disconvenientis rei alicujus notioni inest, sequatur rem posse esse [2]). Utrum, quæso, hæc propositio: Hoc aut illud (quod tibi concedo ut esse possit, quodcunque alioquin est) existit, analytica propositio est an

[1] Vide Critique de la raison pure, trad. Tissot, Introduction, IV, De la différence entre les jugements analytiques et les jugements synthétiques; tome I, p. 40. — Vide quoque in eod. tom. Logique transcendantale, 1re div., liv. II, chap. II, sect. I, p. 191, Du principe suprême de tous les jugements analytiques, et section II, p. 194, Du principe suprême de tous les jugements synthétiques.

[2] Hoc ad Leibnitium conversum est, quem directo petitum confutatumque mox cernemus.

synthetica? Si analytica (id est ea quæ attributi ideam subjecti idea inclusam habeat), ad ipsam rei notionem rei existentia nihil adjicit; neque id aliud nisi miserabilis tautologia est: etenim rem esse ideo tantum affirmamus, quia insitæ nobis rei notioni rei existentia inest, quod mera est repetitio nec de qua agitur rem esse probat. Si synthetica (ita ut attributi idea aliquid subjecti ideæ addat), et, dummodo mens nobis sana sit, syntheticam esse omnem de rei cujusdam existentia propositionem fateri debemus, quanam ratione contendis existentiam de subjecto detrahi non convenire, quum hoc privilegio solæ gaudeant analyticæ propositiones, quarum id ipsum proprium sit? (Op. cit. § 718 et 719).

Accedit hoc: Esse non est prædicatum, cujus idea rei notionem, si huic illa adjungitur, explicet, augeat, amplificet; rei tantum positio est, aut, ut dialecticorum verba usurpemus, judicii est copula, qua attributum ad subjectum pertinere ostenditur. Si dixero: Omnipotens est Deus, prædicatum quoddam Dei ideæ adjicio; si autem dixero: Deus est, nullum Dei ideæ adjicio prædicatum: pono tantum subjectum cum omnibus subjecti prædicatis. Cogitem Deum ut possibilem, cogitem ut realem, nihil amplius hæc illa cogitatio complectitur, nec quidquam præsenti in casu possibilitati addit realitas. Nunc centum nummos reales cogito, nunc centum nummos possibiles: non plus est in illis, in his minus, licet in fortunis meis plus sit, si centum nummos habeo, quam si eos solum cogito. Si igitur rem aliquam cum cunctis quæ ad eam pertinent prædicatis cogito, atque hoc dico insuper: Ea res est, nihilo, nihilo prorsus augetur ea res amplificaturque; quod si enim augeretur, non eadem res existeret quæ est in intellectu meo, quandoquidem in realitate plus esset quam in

cogitatione. Itaque si cunctas rei alicujus proprietates, excepta una ex illis, cogito, non satis est dicere mancam illam rem existere, ut ei quod deest superveniat, sed, ut manca est cogitata, manca manet; sin aliter, alia in realitate esset, alia in cogitatione. Ergo quod ad supremam Realitatem, id est infinitum perfectumque Ens pertinet, cogites licet eam ut possibilem: eam esse non ideo demonstratur. Inde fit ut rei, qualiscunque et quantacunque est, e notione egrediamur necesse sit, ut eam esse planum facere valeamus[1]. Corruit autem jam totum ontologicum argumentum, quippe quod una ut possibilis cogitati Dei ex idea Dei existentiam trahere contendat. « Plurimumque abest ut inclytus ille Leibnitius sperata potitus sit, et quod possibile posuerat Ens perfectum a priori demonstraverit. » (Op. cit. § 721-724). — Et lepida hac Kantius sententia concludit: « Quod celeberrimum illud ontologicum (cartesianum) attinet ad argumentum, irriti tot conatus, irriti tot labores fuere, nec magis scientia nostra solis ideis, quam mercatoris fortunæ nummariæ rationi zero iterum iterumque addito, adaugebitur. » (Op. cit. § 725).

Perlecta Kantii illa disceptatione, sentimus non jam nobis cum levioribus ingeniis negotium esse, sed cum gravissimo validissimoque ontologici argumenti adversario. Quod quidem a Kantio dejectum se a casu attollere non potuit, ita ut non nisi timide paucissimi adhuc philosophi illud proponant, quamvis in gratiam restituere illud Hegel et Schelling[2]

[1] Dilucidius enodatiusque hoc ostendi exprimique non potest, scilicet Deum esse a priori, id est experientia non juvante, non posse demonstrari.

[2] Hegel, Opera omnia, tom. VI, pag 112, Encycl., tom, I, Logica, pars I, A, § 51. — Cf. Opera omnia, tom. XV, Prælectiones de

conati sint, quod in disciplina non mirum est quæ *esse* et *cogitare* unum vult esse et idem.

In summa, præcipuam hanc vituperationem nobis videtur subire Anselmo-Cartesianum argumentum, quod sic tractet summi perfective Entis ideam ut mathematicam definitionem. Pro certo quidem habemus, posita trianguli idea, quæcunque ex ea per analysim exprompta trahuntur, trianguli esse propria. Quod si autem agitur de Deo, non se isto modo res habet. Quid est enim commune abstracto et ideali illi qui triangulum vocatur conceptui et summo perfectoque Enti, Deo scilicet, qui suprema est realitas?

Quod in experientia simul et ratione positi, et platonici et cosmologici in Monologio argumenti ad fortunam pertinet, pauca dicere licebit, quoniam, minus opportunum reprehensioni, non ita est impugnatum. Quippe quod argumentandi genus ut apud priores, et græco-latinos et christianos, sic apud posteriores philosophos gratiaque valuit floruitque auctoritate, imprimis D. Thomam et scholasticos, Leibnitium, Bossuetumque et Fenelonem, hos denique nostrorum temporum qui ab Cartesio sunt philosophos. Cartesius nempe, mathematicus ille et psychologus, suique ipsius, non mundi contemplator, cosmologicam in Meditationibus suis argumentationem introducit, quum Medit. III ab infiniti idea infinitæ Causæ existentiam infert. Cui argumentationi ipse Voltarius, quum tam pauca de religione et philosophia retinuerit, hæretque insistitque. Kantius quidem cosmologico non pe-

historia philosophiæ, tom. III, pars II, cap. 2; pars III, cap. 2. — Schelling, Neue Zeitschrift für speculative Physik, I, p. 38. — Quid de ontologico argumento senserint ambo philosophi explanatum vide apud Rémusat, op. cit., lib. II, cap. V, pag. 458-465.

percit argumento[1]; physico-theologicum autem argumentum [2] nec nihili facit nec nullo habet in honore [3].

[1] Kant., op. cit., ibid., sect. V, De l'impossibilité d'une preuve cosmologique de l'existence de Dieu, pag. 223.

[2] Physico-theologicum argumentum Fenelo facunde exposuerat; quod denuo interpretati omni dicendi lepore ac suavitate adornaverunt J.-J. Rousseau et Bernardin de S. Pierre, quos octavo decimo sæculo de numero scriptorum Deum esse negantium excerpendos seponere æquum est.

[3] « Dignum est illud argumentum, ait Kantius, quod summa semper veneratione prosequamur. Antiquissimum est, et liquidissimum, omniumque hominum ad rationem maxime accommodatum. Quisnam dubitet supremum quemdam et absolutum rerum agnoscere auctorem, quum admiranda naturæ augustamque mundi structuram contemplatur? » (Kant., op cit., ibid., sect. VI, De l'impossibilité de la preuve physico-théologique, pag. 240-241.)

CAPUT V.

CONCLUSIO.

Quænam huic proposito, scilicet Deum esse, demonstrando ratio et methodus adhibendæ sint.

Dissertationis nostræ ad finem pervenimus, Anselmique vidimus argumenta quæ sint, unde oriantur, quanti valeant, quem exitum habuerint quaque usi sint fortuna ; superest ut concludamus. Huc equidem evadere tota nobis videtur disputatio, non posse a priori Deum esse demonstrari, quum nulla anticipatio sit quæ propria vi et sponte sua hoc in lucem proferat quod ab una conficitur, adjuvante ratione, experientia. Falso et perperam Medit. V Cartesius hanc utrum Deus sit quæstionem geometrico proposito assimilavit. Ex eo quod de trianguli definitione quidquid trianguli proprium est colligitur, non sequitur ut Deum esse ab una Infiniti Perfective idea ducatur. Abstractum quiddam est et ideale triangulum, et, velut omnia geometrica schemata, tantummodo ad cogitationem pertinet. Ut primum igitur posita est trianguli definitio, quidquid ex ea, analytica methodo adhibita, effici cogique potest, ut tres anguli et quidquid trium angulorum proprium est, de triangulo affirmetur assevereturque licet. Quis autem e trianguli definitione non jam trianguli proprie-

tates, sed ipsam trianguli realem efficere velit existentiam? Illud et de Perfecti idea verum est: quod si enim animo insita est clara et distincta Perfecti notio, quidquid perfecti proprium est, vel, ut loquitur Cartesius, omnes in universum perfectiones, absolutam videlicet et scientiam et sapientiam liberumque arbitrium et ejusmodi universa, de Deo affirmare possumus, utpote qui, secundum definitionem, unum et idem sit ac Perfectum. Verum ab astracta et ideali Infiniti Perfective notione ad realem Dei, summi utpote Entis, existentiam non jure magis meritoque transires, quam si triangulum intellectu cogitatum conceptumque in rem transferre tibi libeat. E Perfecti notione egrediaris pernecesse est, et tibi adjumento sit et opem ferat experientia, id est externarum rerum perceptio et tuimet ipsius conscientia, ut Deum esse manifestum facere possis. Ita fit ut nullo pacto trianguli proprietatibus assimilanda, neque a priori, per puram et nudam analysim et more geometrarum, Dei existentia demonstranda sit.

Non eadem est Anselmi in Proslogio et Cartesii in quinta Meditatione et species argumenti et habitus, nec æque et pariter geometriam olet sapitque, quod præcipue inter utramque interest ratiocinationem (adjunge Cartesii directam, Anselmi obliquam et per absurdum demonstrationem esse); non minus autem et ficticia et captiosa est Anselmianæ probationis logica forma, quippe quæ summi Entis ideam, si ei realis existentiæ notitia addita erit, perfectiorem evadere mentiatur, quum reipsa, addita illa notione vel adempta, neque augeatur neque minuatur ejus quo nihil majus est idea. Positum fuerat cum omnibus prædicatis suis (quorum in numero nequaquam est existentia) Ens perfectum : positum manet et possibile, nec prius manifestum erit, quam e rationali summi

Entis prænotione egrediaris experientiamque advoces in auxilium. A priori igitur, iterum dico, et per meram analysim Deum esse omnino demonstrari non potest.

Nihil advocant obtestanturque ontologici argumenti auctores, nisi anteceptam animo informationem, qua ex una quod quæritur analytica via expromi debet; minime vero experientiam, minime sufficientis rationis principium respiciunt. Omissa autem experientia, omisso sufficientis rationis principio, levia re quidem vera et exilia sunt omnia argumenta, etiamsi præ se ferant gravitatis firmitatisque speciem. Hinc meimet ipsius conscius sum atque externa experior; illinc necessarium hoc ratio mea facit judicium: quisque suam effectus causam habet[1], et tantum saltem causæ quantum effectui inest. Duo illa sunt elementa e quibus necessarie constat omnis de Dei existentia ratiocinatio, duo illa ad demonstrandum sufficiunt. Hominem autem et mundum sive ut finitos contingentesque, sive ut ordine dispositos et præditos pulchritudine experimur. Quorum finitam naturam contingentemque existentiam considerantes, et Bibliorum scriptores ad Deum, omnipotentem rerum hominumque creatorem et rectorem, insurgunt, et Aristoteles ad supremum motus principium (κινοῦν ἀκινητόν) pervenit[2], Anselmusque contingentium substantiarum in Monologio, Cartesiusque humanæ Perfectum concipientis mentis (si Perfecti animo insitam esse ideam conceditur) tertia in Meditatione efficientem causam assequitur. Rursus universa in mundo et in homine, ut composita sint et decora, intuiti, et Anaxagoras ad ordinatricem quæ cuncta disposuit

[1] Causæ autem, ideo effectus, notionem a mei ipsius conscientia duco, utpote qui sponte mea agam omniumque factorum meorum et fons et principium sim.

[2] Aristot. Phys. lib. VII et VIII; Metaphys. lib. XII, cap. VII.

instruxitque Intelligentiam (αὐτοκρατὴς νοῦς πάντα διακοσμήσας [1]), Platoque ad summum Bonum unde universales et pulchri et justi et boni cujuslibet ideæ exortæ sunt, Bossuetusque et Fenelo mundi ad causam finalem, Anselmus denique in Monologio ad principium per quod quidquid bonum vocatur est bonum, insurgunt perveniuntque. Quod utrumque, cosmologicum illud, hoc physico-theologicum, argumentandi genus, philosophicum simul et populare, doctorumque ad intellectum vulgique ad sensum accommodatum, et severissimæ, Kantii ipsius, rationi et rudissimo cujusvis unius ingenio solum satisfacere potest.

Non minimum igitur decus nec ultima Anselmo laus est, illas in experientia sufficientisque rationis principio positas demonstrationes fuse latiusque dissertas in Monologio explicavisse. Controversa est quam petivit invento Proslogii argumento gloriam; indubitate vero eum Monologii argumentatio commendat. Is fuit qui, D. Augustini ingressus vestigiis, Scripturam et Platonem conciliatos conjunxerit; is fuit qui servaverit quod apud veteres philosophos eximium esset, quod apud recentiores optimum præparaverit. Merito enim Cartesii Leibnitiique et totius eorum scholæ dici potest præcursor, recentiorisque parens philosophiæ, exceptis solis Hegelianis qui eum tamen auctorem et appellant et proferunt. Non quod Cartesii de laudibus quidquam deminuere velim, sed suum cuique reddere, cuique debitum tribuere decet. Sæpius quidem data opera est ut fidei ratio et rationi fides opponeretur unaque alteri verteretur in contrarium : Anselmi ad institutum redeamus, apud quem philosophia et

[1] Vide quid Socrates in Phædone de Anaxagora dicat (Phædo, XLVI). Cf. Diog. Laert.

religio tam apte fuerunt consociatæ nec quidquam philosophia de religione, religio de philosophia detraxit, quique, quum exactissimus fuerit et undique perfectus philosphus, ardente pietatis affectu sensuque religionis omnia scripta sua perfudit. Cujus in argumentationibus hoc unum reprehensionem capit, frigidior scilicet illa et asperior nudi syllogismi forma ; quod si autem in hoc Anselmus fuit vitiosus, hoc et Anselmi et scholasticorum commune vitium fuit. Manserunt nihilominus et manebunt illa quibus Deum esse Anselmus demonstravit argumenta : « manebit Proslogii argumentum tanquam acutissime excogitatum puræ logices ad philosophiam accommodatæ exemplum; manebunt imprimis firmiores illæ quæ Platonis more in Monologio allatæ sunt rationes, postquam eas illa suas fecerit philosophia quæ ad experientiam respectum habet, et syllogistico apparatu abstractaque forma exuerit, talesque iterum fecerit quales ab illo scriptore et conceptæ fuerunt et expressæ qui Phædrum, et Symposium, et Phædonem composuit.[1] »

Vidi ac perlegi.
Publ. disputationis præses,
A. SABATIER.

Vidi.
Fac. theol. ev. Paris. Decanus,
F. LICHTENBERGER.

Typis mandetur.
Academiæ parisiensis Rector,
GRÉARD.

[1] E. Saisset, Mélanges d'histoire, de morale et de critique. Paris, 1859, in-12, p. 54.

INDEX